



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


**Princeps Christiano-Politicus Septem donis Spiritus sancti
instructus Anno M.DC.LVI.**

Faust, Reinhard

Herbipoli, 1667


Nutzungsbedingungen


[urn:nbn:de:hbz:466:1-55326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55326)





14.3260.

J. I
B.









PRINCEPS CHRISTIA-
NO-POLITICUS

*Septem donis Spiritus sancti in-
structus*

ANNO M. DC. LVI.

AUCTORE

R. D. REINHARDO
FAUST,

Canonix S. August:

Dirnstainii Professo Ca-

Collegii pitulari, &c. *1679*

Nunc *Paalenborna, 1679*

*Denno recusatus, & Auctori
oblatus.*

HERBIPOLI,

Typis HERTZIANIS, Anno

1667.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text in red ink, possibly a signature or date.

Handwritten text in red ink, possibly a signature or date.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



*Reverendissimo Prænobili
Amplissimo Dño*

**D. REINHARDO
FAUST,**

**Canonix S. August:
Dirnstainensis Præposito, S.
C. Majestat. Consiliario,
Domino suo Gra-
tioso.**



**Didisti quon-
dam in lucem**

X 3

lu-

DEDICATIO.

lucubrationem, *Reverendissime Domine*, dignam, quæ deinceps nocte nullâ sepeliatur. Hæc illud è cineribus Machiavelli exurgens ætatis ferreæ idolum, non clavâ Herculis, sed *pugno* de-jicitur *sapientis*. Arietat, immo subruit universum pene orbem
ficti-

DEDICATIO.

re- fictilis illa statua *Ratio*
g- *statûs*: tu illum septem
ps columnis Christianæ
a- politix solidus archi-
i- tectus sustentas. Vel
li ipsi in folium elati, qui
æ adorantur ab aliis, a-
â dorant Deastrum il-
e- lum. Malunt sine
e- Deo imperare impiè,
i- quàm cum DEO præ-

) 4 esse

DEDICATIO

esse Christianè. Sa-
pere se putant, si cun-
cta emolumento me-
tiantur; at in hoc de-
sipiunt. Utile hone-
sto præferre eminentia
est virtus. Quos in-
doles & educatio ef-
format in Angelos,
hos improbum illud
monstrum deformat
in dæmones. Hinc
nuf-

DEDICATIO.

a- nusquam Germana
t- virtus; Pelasga, Puni-
e- ca ubique fides. Vir-
e- tus ancillatur num-
- mis, Deus auro. Hanc
a stultam mundi sapi-
- entiam *Reverendissime*
- *Præsul* sapienter dedo-
- ces, quando legem
- Politicæ doces, Princi-
- pibus normam figis.

) (5

Fe-

DEDICATIO

Felix qui hanc capit, tu
nam fat didicit; errare
re nequit, quem illa
manuducit; sapiens
est quisquis penetrat
id *Politicon*. Ego pro-
inde illud nova luce
illustrare volui, ne
obtegatur; tu primam
fronte clementer ac-
cipe, & me postre-
mum tuorum clien-
tum

DEDICATIO.

tum gratioſè aſſume.
Herbipoli Anno 1667.

*Reverendiſſimæ Pranob. & Ampliſſimæ
Dominatiſſimæ tuæ*

Servus ac Cliens iſſimus

Hiob Hertz,



*Astra requirit homines princeps sapientior ast.
Cur melius populū non regat ille suū?*

5(1)5



DISCURSUS

PRIMUS.

DE

SAPIENTIA,

Primo S. Spiritus dono.

*si quis vestrum indiget Sapiaentia,
postulet à DEO. Jacob 1.*

CAPUT I.

*Principis Christiano-Po-
litici Sapiaentia.*



Eterna DEI Sa-
piaentia, humanae an-
gelicaeque cognitio-
nis fons & origo,

A

tanta

tanta est, ut divinissima ejus claritate circumfusus, atque inflammatus sacrorum Mysteriorum excellentissimus præceptor Sanctus Paulus meritò exclamet: *O altitudo divitiarum Sapientiae & Scientiæ Dei!* ò altitudo Sapientiae! quæ infinita sua luce seipsam, & quicquid divinitus immensitatis habet, una sola comprehendit; quæ quicquid quacunque potentiâ producat, quocunque intellectu cognoscisci, quocunque affectu desiderari potuit, & potest, atque in omnem porrò æternitatem poterit, sic suâ intelligentiâ exhaurit, ut nihil cognoscendum lateat, nihil quod cognosci non queat, restet: tanta demùm illa

est

DE SAPIENTIA. 3

est, ut sola suimet sit infinite in-
telligens, & intellecta, suæ sola
intelligentiæ commensurata: de
hoc sole deciduum radium, de
hoc oceano guttam, de hac infi-
nita luce scintillam ad tuam
tuorumq; salutem obtinendam
enixè postula, quisquis Deisa-
pientissimè gubernantis imita-
tor, quisquis sapientissimorum
non dissimilis gubernator &
princeps audire desideras. Est
namque hæc ipsa in subsidium
humani generis præparatrix, &
creatrix illius, quæ rerum om-
nium contemplatione excitata,
& sublimioribus instructa cau-
sis, perfecta animorum Magi-
stra sic efformat exornatq; pos-
sessorem, ut ubique virtutem

A 2

ejus

4 DISCVRSVS I.

ejus explicatam admireris ; stu-
pesces eandem in paupertate
divitem, in divitiis pauperem, in
exilio indigenam, in patria exu-
lem, in debilitate integrum, in
integritate debilem, in Seculari
Religiosum, in Religioso Secu-
larem, in milite Imperatorem,
in Imperatore militem, in sub-
dito Magistratum, in Magistra-
tu subditum posse conservare:
obstupesces illam ipsam tan-
tum pollere, ut si dolor, egestas,
carcer, exilium, ipsumque le-
thum, veluti efferatæ in alios
belluæ, ad sapientem pervene-
rint, depositâ feritate mansue-
fiant: Verbo, quæ in cæteros im-
perium habent, opes, honores,
voluptates ad servitutem &
man-

DE SAPIENTIA. S
mancipatum Sipientis compri-
muntur.

CAPUT II.

Sipientia Efficacia.

PRincipem profectò sic omni
virtutis præsidio communit
Sipientia, ut in continuo virtu-
tum vitiorumq; conflictu eun-
dem pugnare semper, nun-
quam vinci liceat videre; Ex pa-
ri cum Deo eiusmodi hominem
vivere, nisi natura & lex aliud
docuissent, crederes: Regni uti-
litatem cum honestate, medio-
rum affinitatem cum fine, ho-
noris fluxum cum æternæ glo-
riæ perpetuitate, arte & indu-
stria sapientiæ sic penetrat, pon-

6 DISCVRSVS I.

derat & comparat, ut vel ipsam fortunam adversam sibi fabricare didicerit secundam. Mille oculi, mille manus, mille consiliorum officinæ, ista, quæ ex hac sua sapientiæ panoplia ad mali bonique dominatum rapit, arma suppeditare non valent. Si à Marte periculum imminet; hæc Pallas divinior ferrum effodit, tela cudit, ægidem porrigit, animat sagittas: Si Bellona classicum canit, hostem aggreditur, cædit, sternit, fugat, tandemque te reipublicæ beatum contemplatorem in sede felicitatis collocat, divinaque commonstrat virgâ, quæ tibi porrò obesse prodesseve possint. Qui è Paradyso Indiæ circumfluvius Phison profluit,

DE SAPIENTIA. 7

fluit, auri, gemmarumq; ferax,
vultus mutationem animique
fortitudinem indicare perhibe-
tur: Quid ille divinitatis ab æter-
na sapientia deductus rivus, par-
ticipatâ divini Spiritus Sapien-
tiâ, quos non auri, gemmarum-
que cumulos vehit, volvit, rapitq;
vultum immutat, roborat ani-
mum, ruborem excutit, pallo-
rem inducit; commodorum
prælagæ caatrix, incommodo-
rû ingeniola moderatrix men-
tes oculosque operit & aperit;
silentio suspendit auditores, &
animos territat; in verba erum-
pit, & secreta custodit; fingit, re-
stringit, simulat, dissimulat, ne-
que hanc industriæ suæ dexteri-
tatem ullâ vitiositate coinqui-

8 DISCVRSVS I.

nat. Unde, cū Magistratus
omnis indigeat hoc dono, po-
stulet à Deo, dicatque: Da mihi
Deus meus, sedium tuarum affi-
sttricem Sapientiam, & noli me
reprobare à pueris tuis; da Do-
mine DEUS meus, æterna Sa-
pientia, ut labia mea in laudes
tuas aperiam: nescio enim sa-
pienter loqui, nescio tacere sine
te; pone custodiam ori meo, &
doce me, quia audit servus tuus,
doce me facere justificationes
tuas, duc me per vias rectas, da
sapientiam animæ lucem & du-
cem meæ, ut videam te &
obtimeam regnum
tuum.

CA-

✠✠✠✠✠✠✠✠

CAPUT III.

Sapientia Taciturnitas.

UT benè beateque rempublicam gubernet sapiens, parcè loquatur oportet: præcipua namque vis & energia gubernatricis sapientiæ in sermonis parsimonia consistere videtur: Parcè loqui principum est. Ipse Creator omnium verbo produxit omnia: semel locutus est DEUS, & vim universæ potestatis & misericordiæ docuit regium Psalten: salutis nostræ vindex & assertor Christus quàm nervosè, tam succinctè inimicorum dicacitatem repressit, & amicorum taciturnitatem eru-

10 DISCVRSVS I.

diit. Quoties ille veterum Politicorum Princeps Moyles populi sui murmura tacendo compescuit? Quoties Propheta regius ad regni sui conservationem, animos, ne verba protruderet, compressit? Ulysses pectore, non ore loquebatur; Epaminondas scientiarum plenus, penè nihil, ne animi sensa adverterentur, vocis emittebat; Augustus Cæsar, ne mentis conceptus in senatu ad aures elabi sineret, quod scripto commiserat, tantùm proferebat. Tacere qui didicit princeps, & subditos & ministros docuit timere: taciturnitas talenta auget, non prodigit; lingua clavis animi dum thesauros aperit, furibus exponit; cor
Prin-

DE SAPIENTIA. II

Principis, quod lingua interprete non utitur, manet inscrutabile: frequens linguæ usus justum ordinem turbat, in Principe perturbat & conturbat omnia. Quòd si loquendum est, secreta certè mordicùs sunt custodienda: Neminem habeat tam charum Princeps, tanto donatum privilegio neminem, quem non celet vel illud secretum, à quo reliquorum omnium dextera ad mentem propriam dependet explicatio. Cæcilius Metellus, si subuculâ, quam gestavit, cogitationes à se exagitatas penetrasset, ad tutum Vulcano consecrasset. Parcè igitur loquendum est Principi, & strenuè laborandum. Uti enim multam mali-

tiam docuit otiositas, ipsiusque pestilentissime matris filie: ignavia, segnities, locordia, fatalisque rerum agendarum sive somnus, sive torpor regnorum excidia pepererunt: ita multorum firmamenta seditiosa linguæ flabella infregerunt.

CAPUT IV.

Sapientia Intentio.

Operandum est Principi sedulo, & accuratius graduum operationum intentiones contegendæ. DEUS, DEUS absconditus est, & decretorum suorum participem facit neminem; à voluntatis suæ secretis constituit neminem, ne filium
quidem

DE SAPIENTIA. 13

quidem hominis: quin, ne oracula contemptui exponerentur, per caliginem, ignes & fulmina Myſteriorum ſuorum miniſtros non rarò inſtruxit: Salutis noſtræ reparator, ut iſtam ſapientiæ induſtriam nos doceret, feliciffimam nobis lucernam ortus ſui intempeſtâ nocte affudit: ab intentata Judæorum lapidatione ſeſe abſcondit: ſilencio interrogantem Herodem confudit: in Jeruſalem ſe non aſcendere dixit, longiùs ſe ire finxit. Fortunatus ille ſub Gedeone Duce exercitus trecentorum militum, Madianitarum ad viginti quinque millia, latente lucernâ, duce nocte, auſpice ſecreto, ignarus Ducis ſui inten-

14 DISCVRSVS I.

tionis, strenuus mandati exēcutor interneccione delevit. Juditha Betulis Heroïna mundo suo castum occultavit animum, suæque se genti inimicam finxit, ut de Holoferne victrix triumpharet, ut David fervaretur, Michol in lecto statuam collocavit; ut ipse Rex regno prodesset, fictè stultescebat. Cassius cætera consceleratissimus insignem religionis justitiæq; affectum præse ferebat, gnarus ad imperia, vel virtutis simulacrum esse necessarium, ut eum, quem vitiositate assequi se non posse sciebat, honorem similtate obtineret. Viam gloriæ spinę & tribuli, ducenaturâ, occultant; ars naturæ æmula rosas & lilia umbris venustat,

DE SAPIENTIA. 15

nustat, ut proinde nulla cavillatione dignum videatur, si alium se, quàm ipse est, princeps exhibeat, erga eos præcipuè, qui, qui esse debent, non sunt, aut sunt, qui esse non debent. Sapienter feliciterque regno mox perituro illatas injurias Arragoniæ Rex Ramirus vindicavit: ut regni Consultores sine rebellionis periculo tanquàm evertores plecteret, ad novam campanilis fabricam, cujus sonus per totam Hispaniam audiretur, eos evulgato rumore, debito curiosiores allexit, atque sic in præfentes hujus inventi spectatores animadvertit, ut omnibus ex ordine suspensis, laqueoque exuncato circulo suffocatis, fatalis

hic

16 DISCURSUS I.

hic & antè non auditus æris
campani sonus ad ultimas terræ
insulas sese diffuderit. Profecto
nisi ex sapientis gubernatoris
disciplina intentionem hanc sui
facinoris texisset, neque se, ne-
que suos ab interitu liberasset.
Serviunt nimirum hæ artes, ut
sine tumultu & periculo, quod
fieri oportet, fiat.

CAPUT V.

Sapientia Dissimulatio.

Nescit regnare, qui nescit dis-
simulare; simulandum dissi-
mulandumque est quàm cautis-
simè. DEUS Orbis fabricator
& Architectus cum prævarica-
tore Adamo, quando ignaro si-
milis

DE SAPIENTIA. 17

milis quærebat, ubi esset, dissimulavit; ut Beatorum numerus crescat, peccata se videre hominum dissimulat. In gubernationis suæ principio Rex Saul fortiter pectore maledicentias dissimulavit, eò quod regnorum initia desiderant amoris illicia; prorogatur hac arte castigatio, non condonatur; rigida ad initium periculosos parit exitus gubernatio. Si Roboamus Salomonis filius dissimulasset, decem Tribuum rebellionem præcavisset. Cautissimè David mortem occisi à Joabo Abneri se non aestimare finxit, donec proximus morti ultimâ voluntate filio vindictam legavit. Melior est dissimulatio, quàm præcipitata castigatio.

18 DISCVRSVS I.

stigatio: hæc enim & nævos & pericula secum trahit, illa ut plurimum mentem à culpa servat illibatam. Parcè igitur loquere, tege intentionem operis, & cautè dissimula, ut sapienter gubernes. Quod ut præstes à DEO postula, & dic: Domine Rector orbium & cordium, mitte sapientiam de cœlis Sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, & mecum labore, deducat me in omnibus, ut rectè & sobriè disponam populū tuum, ut justè iudicem, & inveniar dignus sedium Patris mei.

* * *

CA-



CAPUT VI.

Sapientia Fructus.

MEntis humanæ tranquillitatem, Reipublicæ pacem, salutem æternam illud S. Spiritus donum Sapientia elargitur, atque, quæ mentem loco suo movere posse videntur, impedimenta submovent: dum silentio sedat tumultum, similitate frangit impetum, benignitate compescit furorem, pœnarum moderatione seminat amorem, sermonis parsimoniâ timorem docet, simulatione virtutes plantat, dissimulatione vitia exterminat, vindictæ abstinentiâ ultorem Injuriarum Deum agnoscit,

20 DISCURSUS I.

feit, & fecunda ex hac virtutum
 segete uberrimam pacis gloriae
 que messem colligit. Insurgat
 fortuna omnibus intemperia-
 rum flagellis adversa, & totam
 mundi machinam in Sapien-
 tem concitet, concutiatque, im-
 pavidus feritur animus, supra
 fortunæ novercantis ictus suo
 statinconcussus robore, nulla
 turbatur, nulla perturbatur
 tempestate, semper serenus,
 semper tranquillus, aut in coelo,
 aut coelo proximus. Nec enim,
 cui felicitas domestica est, ex
 alieno pendet commodo vel in-
 commodo; Insurgant iræ, invi-
 dentia, status pericula; insurgat
 rerum omnium tyrannis, opum,
 honoris, vitæque interminetur
 inte-

DE SAPIENTIA. 21

Interitum: nihil auferet Sapien-
ti, quod suum esse credidit; nihil
auferet, quod non pretiosiore
thesauro compensabit. Eò bea-
titudinis pervenit, ut nec malis
affici, nec terrenis iniquitatum
fecibus inquinari posse videa-
tur. Si fortunę iniquioris violen-
tia de sapientis victoria despe-
ret, adhibeat licet adulationem
& maledicentiam, quarum al-
tera blanditiis, altera mordaci-
tate, quod solent, communitum
sapientis animum invadat: Sa-
piens fortunæ ridet blanditias,
ludit maledicentiam, proterit
adulationem, mordacita-
tem explodit.

* *
*

CA-



CAPUT VII.

Sapientia Tolerantia.

DIvexati à Catilina Messano
 Romani, suasu & ope Grac-
 chi, iræ abſtinentiâ & insolentiæ
 tolerantia hominem superâ-
 runt ; Philippus Macedonia
 Rex ab Armadio calumniis pro-
 ſciſſus infectatori culpam con-
 donavit, fecitque virtutis obtre-
 ctatorem laudis ſuæ præconem
 efficacior ſuis Conſultoribus,
 qui caſtigationem ſuadebant,
 medicator. Sic nimirum Roma-
 na , ſi humana ſapientia agit,
 hæc ægri cura vitioſi eſt reſtitu-
 tio, ſi prava in rectum flectit in-
 genia ; ſic laceſſita, ut luna ca-
 num

DE SAPIENTIA. 23

num latratu appetita, cursu in-
fluxuque suo rebus infra se posi-
tis egregia præstare non cessat
adjumenta, sic inquam laceffita
sapientia saluberrima è myro-
theciis suis, omnibus animorum
ægritudinibus offert, affertque
antidota. Sapientem ad injurias
surdum esse decet, maledicen-
tias tolerare, & quodvis malum
ferre, & bonum facere addecet.
Neque idcirco impunè abibit
ista famam, vitamque lacerandi
Principum, audacia; quæ, ut
Hercules Augeum amplexu suf-
focavit, ultore DEO, quando
moderatè tulit Princeps, in fine
castigabitur. Quod si ad hanc
Romanam divina accesserit sa-
pientia, quid quæso ad statum
feli-

24 DISCURSUS I.

felicitatis, in medio pravitatis,
deesse poterit? Vivet in numero
sapientum Princeps, tutusq; re-
gio charactere, fortunę, ferarūq;
domitor, suorum amor, pacis sa-
lutisq; tandem æternę possessor
triumphabit. Quod ut assequa-
tur, postulet sapientiam hanc à
Deo, & dicat: O admirabilē Dei
Sapientiam! cui temporum dif-
ferentia & intercapedo eternū
præfens est, dirige me per tanta
& tam periculosa temporum in-
tervalla. O admirabilē Sapien-
tiam! cui res in & extra potētiam
immutabiliter & clarissimè pa-
tent, noverim ego memet, no-
verim te in hac vitā fide perfe-
cta, in altera lumine te videam
glorioso. O admirabilē Sapien-
tiam! cui rerum, negotiorū, ope-

DE SAPIENTIA. 25

rationumq; causa, ort⁹, progres-
sus & finis lucidissimè subjacent;
da ut post tot cogitationū flexus
& anfractus te tandē simplicissi-
mo obtutu contempler, qui es
omnis bonę mētis autor & arti-
fex, qui es consiliorū exemplar,
mensura & finis; O admirabilem
Sapientiam! cuj⁹ lumine omnia,
sive sint, sive non sint, sunt circū-
fusa, tecunaq; tuâ luce inaccessâ
refulgent, da, ut servus tuus vel
uno sapientiæ tuo radio illustre-
tur, vel uniceâ scintilla incalescat!
Oro supplex, dirigar hac luce
tua semper & ubiq;, ut possim &
velim ex lucis tuæ providentiâ,
quæ nec fallit, nec fallitur, senti-
re, velle, exequi, quæ meæ saluti
congrua, tuæ placent voluntati.

B

DIS-



*Sidera perlustrant orbem; felicior illis
Indigenas orbis mens oculata regit*

DIS.

DISCURSUS
SECUNDUS.

DE
INTELLE-
CTU,

Secundo S. Spiritus dono.

*Intellectum tibi dabo, & instruam
te in viâ, quâ gradieris, Pl. 31.*

CAPUT I.

*Principis Christiano-Po-
litici Intellectus.*

AUdi, quisquis es mortu-
alium, veritatem pri-
mam & summam infi-
nitâ sapientiâ, quæ fal-
lere non potest, immensâ boni-

28 DISCURSUS II.

tate, quæ non vult, fundatam: quicquid veri in angelis & hominibus, quicquid in ulla creatura reperitur veritatis, ab ista veluti tenuis particula communicata est, utraque ad salutem necessaria, utraque intellectui objecta. *Æterna Veritas* intellectum tibi dabit, & instruet te in via, quâ gradieris, ne veluti captus oculis, qui nec colorum varietatem, nec oblectamentum percipere, neque membrorum quantumvis integrorum rectâ functione, absque casus, præcipitilique periculo, uti potest, ad tantam veritatis lucem cœcutias, ad tantam rerum omnium alienis sese larvis contingentium vanitatem, animam
tuam

DE INTELLECTU. 29

tuam in æternæ salutis periculum præcipites: dabit tibi divina veritas intellectum, & instruet te, ut certo virtutis tramite ad sempiternæ gloriæ bravium pervenias. Eget humana natura cœcitate percussa isto divini Spiritus auxilio, eget hoc intellectu, qui est æterni lumen vultus paternâ benevolentiam ad preces & vota indigentium præparatum, quo Dei capax anima illuminata autorem suum, & omnis veritatis principium cognoscat, videatque, quid veritatis totius mundi hujus apparatus & pompa contineat; quid aurum, gemmæ, opes, honores, dignitates, voluptatesque præ se ferant veritatis; quomodo tota rerum

30 DISCURSUS II.

Universitas, operationum intentiones, studiorum varietates primæ veritati omnium regulæ & mensuræ respondeant. Perspicacissima ejus est acies, nullæ tenebræ, nullæ latebræ, obscuritates nullæ eam effugiunt; technæ, doli, fraudes, artes, scientiæ, ignorantia, vitia & virtutes, candor & fucus, reditudo & obliquitas eidem luculentissimè patent; præsentia pervidet, reducit præterita, futura prævidet & providet; quin in rebus creatis habilitatem quandam ad æternam beatarum mentium beatitudinem natam deprehendit. Quarum ex rerum synopsi, sive Princeps sive subditus suam status firmitatem & infirmi-

firmitatem penetrat, quò uter-
que, alter obediendo, alter im-
perando, salutis securitatem in
quodam felicitatis throno col-
locatam obtineat.

CAPUT II.

Intellectus Felicitas.

QUàm fortunatus ille, qui
hoc illustratus lumine in re-
rum felici successu fortunæ ro-
tam firmare, in adverso eandem
ad pristinam felicitatem cir-
cumagere didicit! fortunatus,
qui hac intellectus operâ rei cu-
jusque pretiositatem & utilita-
tem apprehendere, de utraque
judicare, discursuque necessa-
riam salutis suæ sequelam pro-

32. DISCVRSVS II.

ducere potest! fortunatus, qui in
omni loco & tempore, in omni
otio & negotio, sive status, sive
corporis, sive animæ infelicitas
& periculum, prosperitas & sa-
lus sub curam cadant, orbi pa-
lâm facere novit, se divinâ hac
luce adjutum, sui, rerumq; om-
nium ortum, progressum & in-
teritum, atque insuper divinæ
Majestatis excellentiam tem-
pore, locoq; incircumscriptam
cognitionis quadam claritate &
Intuitu obtinuisse! Fortunatissi-
mus verò ille Princeps, qui in
tot & tantis negotiis hanc co-
gnitionum sedem inconcussam
intemeratamque tenuerit; re-
ctum de præteritis iudicium, sa-
num de præsentibus consilium,
de

DE INTELECTU, 39

de futuris perquam utilem providentiam formaverit! Spartam sanè suam hac solidatus basi quilibet Magistratus optimè defensabit. Andabatae sunt, coeci sunt, & duces coecorum, quicumque hoc oculo non diriguntur. Est enim lux animæ, sine qua vitiorum turpitudinem virtutumq; pulchritudinem videbit nemo, sine qua ad harum tramitem ab illorum via perveniet nemo, in vetitum ruet nefas, atque cum salutis dispendio ex virtutum odio & scelerum amore, quisquis hoc oculo captus fuerit, in abyssum damnationis prolabetur. Ingenita intelligentis naturæ vis operatione sua rerum naturalium conditiones, damna &

34 DISCURSUS II.

utilitates ad creaturæ necessitatem, ornamenta & perfectionem penetrat, ipsamq; animam cognoscentem reddit, dum eandem omnibus rerum formis instruit, imò admirabilem & felicitate quadam naturali beatam efficere conatur; At hoc donum supra naturæ vires à Patre luminum gratiosè concessum, eandem animæ vim & facultatem irradiatione quadam ab ipsâ primæ veritatis luce defluâ usque adeò pellucidam, sublimemq; facit, ut coelestium spirituum percepto splendore atque forma quadam Dei, donorumque ejus picturata, eminentissimam divinitatis præstantiam creaturæque vilitatem

fermè

fermè hac in mortalitate beata
intueatur, atque ad hujus con-
temptum, & illius amorem in-
flammetur. Erue jam nunc ab
homine hoc divini luminis par-
ticipatum lumen, hunc mentis
oculum, hanc animæ lucem &
ducem rerum omnium ad nu-
merum, mensuram, & pondera,
bilancem; oculos profectò ex
capite, solem è mundo, vitam ab
anima fundamentum salutis
abstulisti: Cœcutiet corpus, cœ-
lum sine commodo volvetur,
brutescet homo, anima vix suis
naturæ viribus cohærescet. Hoc
igitur à DEO supplex posce lu-
men, hunc intellectum efflagi-
ta, ut videas viam, quâ gradien-
dum sit; hoc auxilium salutis po-

36 DISCURSUS II.

stula à Deo, & dic cum Prophe-
ta: Da mihi juxta eloquium ve-
ritatis tuæ intellectum, ut di-
scam mandata tua! Da mihi in-
tellectum, ut super senes intelli-
gam, & sciam testimonia tua; Da
mihi intellectum, ut vivam; Da,
quia servus tuus sum ego, qui,
dum loqueris, audio, dum testi-
monium perhibes, credo: audio
& credo bonitatem tuam falle-
re non velle, tuam sapientiam
fallere non posse.

CAPUT III.

Intellectus Impugnatio.

ADverte sis mentem ad ea,
quæ divinam hanc intelli-
gendi vim & facultatem vel im-
minuas,

minuunt, vel evertunt. Habet
 intellectus sæpè fortunam co-
 mitem, sæpiùs inimicam; inimi-
 cissimas semper belluas; fucos,
 fallacias, fraudes, mendacia: ut-
 pote, quæ rebus & actionibus
 omnibus veritatem, quâ solâ pa-
 scitur & conservatur, auferunt:
 aliud loqui, aliud sentire, contra
 mentem loqui, & sentire, menti-
 ri est; alium esse, alium se mali-
 tiosè fingere, fucus est, fraus est,
 fallacia est. Prò Deum immor-
 talem! quantum reip. damnum
 ab iis, qui sic dementant Princi-
 pes, ut in opibus, honoribus &
 voluptatibus summam poten-
 tiam, excellentiam, delectatio-
 nem atque beatitudinem esse
 autument, infertur! Impostores

38 DISCURSUS II.

isti, veritatis & intellectus capitalissimi hostes & regem & regnum unâ ruinâ involvunt. Dum secum disceptat adulator, num veritatem, num gratiam perdere malit, ut servet gratiâ, parcit veritati. Quis enim in odio, quod veritas prolata parit, Principis esse velit? Veritatem, rusticanam Nympham, aulicâ pompâ indignam penè judicant omnes: Simples, ignari politicę, expertes aulæ rustici ligonem ligonem, scapham scapham, ficum ficum appellant; non politici, non aulici, quos veritatem tegere, pericula occultare, subditorum querelas repellere, fisci augmenta suggerere, aurifodinas in calamitatibus quarere decet:

deceat: in aulis, veritas si admittitur, etsi rarò admittitur, vapulat: centum blanditiis eum, qui veritatem in aulas intrudere cupit, præludere necesse est. Tot enim obices & repagula à regis assentatoribus veritati objiciuntur, ut exclusâ justitiâ & veritate, ipsi loco Regis securè & libere imperare valeant. Amici sæpè videntur, & censentur in officio; at sunt hostes in animo, compti in verbo, læti ad prospera, fragiles ad aduersa, inflati ad obsequia, anxii ad opprobria, immoderati ad gaudia, faciles ad humana, difficiles ad honesta; omnibus applaudunt; prodigi sunt illis liberales; avari, ad rem attentissimi habentur; lascivi, urbani & aulici;

40 DISCVRSVS II.

aulici; obstinati, constantes; usq;
 adeò contraria rebus formant
 iudicia, ut in omnibus penè re-
 bus veritatem vel invertant, vel
 evertant, ne Principi intelle-
 ctum relinquunt. Palatinos ca-
 nes, corvos, vultures, stelliones,
 qui in regum aedibus morantur,
 meritò vocaveris; suis tantùm
 intenti commodis, cæteris no-
 cendum putant omnibus. Qui
 hæc in aulis non didicit, stoli-
 dus; qui non exercet, simplex;
 qui contemnit, superbus & aula
 indignus habetur. Utinam Si-
 gismundi, utinam Ladislai Re-
 ges superstites quam plurimi fo-
 rent, qui adultores, veritatisq;
 osores colaphis consignarent!
 Achabus belli disuasorem Mi-
 chæam

chæam ex futuri mali vaticinio
castigavit, reliquis, incassum vi-
ctoriam promittentibus, collau-
datis: apud quem veritas recite-
tur, aut miser est, aut miser erit
Imperator. Nemo Nathan in
palatiis, nemo Joannes in cathe-
dris, qui dicant: Tu, tu es vir ille,
qui fecisti hanc rem: Non licet
quicquid libet Regibus: In om-
nium rerum copia veritatis &
veridici inopiâ laborant aulæ, an
quia defunt, qui audiant: an quia
defunt, qui dicant? non attinet
dicere. Omnia Achyllis arma
Patroclus accepit, & in publi-
cum armatus prodiit; Achyllis
hastam, cætera fortis & expedi-
tus, vibrare non valuit. Circum-
stant, circumcursitant mille la-
tero-

terones, mille Palpones, Politici
 in omni arte; pallati, sagati, toga-
 ti, scientiarum & virtutum sche-
 matis & simulacris perinsignes
 mille: at omnes fermè Taciti
 Achyllis hastam vibrare non va-
 lent, veritatem dicere non au-
 dent, atque ita Principis intelle-
 ctum veritatis recitentiâ exani-
 mant.

CAPUT IV.

Intellectus Expugnatio.

Est & aliud, penè grandius
 mendacio malum, instru-
 mentum ad prostituendum &
 evertendum Principis intelle-
 ctum potentissimum. Fortuna,
 Sapientia & Intellectus in thro-

DE INTELLECTV. 43

no Salomonem collocârunt, at-
que eouſque extulerunt, ut in-
ter filios hominum non potue-
rit reperiri, ſive opibus, ſive na-
turæ donis, ſive intellectu & ſa-
plentiâ ſuperior. Contemplare
Regis Maieſtatem in purpurâ,
authoritatem in ſceptro, in re-
gnorum amplitudine poten-
tiam, copiam & magnitudinem
in gloria, voluptatem tantam,
quâ majorem mens ſenſusque
humanus nec deſiderare, nec
capere potuiſſent. Oppugnâ-
runt regiæ maieſtatis robur, in-
tellectum, ducem & auctorem
omnis opulentia & ſapientia
Inordinati affectus, amores non
depugnati expugnârunt, victrix
intellectus & rationis effecta eſt
intem-

44 DISCURSUS II.

intemperantia: cecidit corona,
 fracta sunt sceptrā, decolorata
 est purpura, sapientia evanuit,
 Majestas periit; factus penè est,
 sicut equus & mulus, quibus
 non est intellectus, intelligentis-
 simus & sapientissimus Salo-
 mon. Prò catastrophē! Filium
 Regis, Regem, regnorum gu-
 bernaculum, sapientiæ miracu-
 lum, everso intellectu, ipsis amo-
 rum mancipiis, improbus amor,
 conscelerata voluptas, turpissi-
 mus verna, spurcissimus leno,
 ganeo prostitutus, voluptatis il-
 licitæ appetitus subjecit! Re-
 gem duxit in triumphum incon-
 tinentia, & regno, nisi resipue-
 rit, exclusit æterno. Atque sic
 æternæ mortis instrumenta sunt
 istæ

istæ intemperiæ. In templo Veneris adumbrati visebantur lascivi amores, qui veluti vespillo-nes gloriæ spiritus sepeliebant; iidem, decerpto mentis fructu, & extincto splendore in templo rationis, radicem intelligentiæ intellectum tumulo condiderunt. Marcus Antonius, Cleopatra, Hannibal, iisdem implicati funibus, gloriosi antè hostium victores, intemperantiæ palmam porrexerunt, & everso intellectu contabuerunt: Celtam Paridis, quàm Achyllis ferreum thoracem eligere maluerunt, ut Helena mortiferis amorum sagittis, discusso ex capite cerebro, arma ex manibus facillimè excusserit. Usu vini nimio Ho-
lofer.

46 DISCURSUS II.

Iofernes obrutus intellectuque
captus funestam tragœdiam
spectatoribus Betuliæ exhibuit:
Convivia, ebrietas, erapula &
amor tam tremendi Ducis in-
tellectum extinxerunt; gemmæ
& cætera cimelia tam exornatæ
ad amores Heroidis eum in ru-
bro sanguinis sui mari suffocâ-
runt.

CAPUT V.

Intellectus Eversio.

Volupiam Deam voluptatis
colendam esse docebant
Trismegistorum scholæ; pro
execrandam disciplinam, quâ
omnis veræ disciplinæ radix ex
humana mente eradicatur! hac
disci-

DE INTELLECTV. 47

disciplinâ exercitatissima Pen-
tapolis in cineres redacta; hac
Carthago, flagitiosorum amo-
rum sedes, everta est: Et quis ne-
scit Africam totam obscœnis li-
bidinum tædis semper arsisse?
& impudicissimis flammis im-
mersam periisse? tot omnium
ordinū ex humano genere mil-
lia pudendis voluptatibus & in-
tellectum, & voluntatem, &
corpus, & animam perdidērunt.
Quot Dynastæ cum Imperato-
re Ninives, qui suo dominio
oceanum frenare cōgitabat, ab
intemperantia Imperium, fata-
lemq; plagam acceperunt? quot
cum Epicureorum, Trismegi-
storumque asseclis, novi secta-
tores Volupiam, cum corporis
ani-

48 DISCURSUS II.

animæque jactura coluerunt, coluntque? cavendus omni Magistratui Idolatricus iste cultus, & proscribendus; cum primis verò cavendus Principi Christiano. Derivatur enim intemperantior affectus Principum in subditorum interitum, ab intemperante domino ad gravius malum provocantur; defectus maculæque in vultu dominantium vilitatem existimationis contuentibus pariunt: Exemplum Principis est subditorum speculum: Discunt ab eo, si injustus est, injustitiam. Nemo infaniente patre insanire filios miretur; filia lasciviam lasciviente matre admiretur nemo. Duorum annorum scelera, quæ

Am;

DE INTELLECTV. 49

Ammon suo in regno perpetravit, quinquaginta quinque, quibus Pater Manasses prefuit, gravitate excefferunt. Intemperantia majoris minor est provocatio minoris ad majorem, donec uterque mortis sententiam in ruinæ perpetuæ tribunali excipiat. Hanc cave pestem intelligentiæ tuæ, supplica Deo, & ab eo efflagita cum Propheta intellectum: Da mihi Domine, ut intelligam vias tuas! Sol Justitiæ oriatur mihi, intelligam veritatem tuam ô lux primæva! dissipate tenebras undecunque emergentes! Sol æterne, emitte lucem & veritatem tuam, ut me adducant & deducant in montem sanctum tuum, & in taber-

C

nacu-

50 DISCURSUS II.

nacula tua! Tu enim omnis veritatis & intelligentiæ origo es, tu omnis mentis & sensus autor: sine tua illuminatione omnia in tenebris & nocte ignorantia sepulta jacent: Particeps fiam luminis tui ò Pater luminum! ò candor lucis æternæ! emitte cœlitus lucis tuæ radiū, ut juxta beneplacitum & fidei lumen sic ambulem in terris, in veritate & justitia omnibus diebus vitæ meæ, & tandem in cœlis lumine gloriæ adjutus te videam verum bonum, & bonitate tua fruar in æternum.

* *
*

CA-

DE INTELLECTU. SI



CAPUT VI.

Intellectus Curatio.

IN capite facta vulnera sunt periculosissima, & curatu difficillima; intellectus Principis intemperantiâ obscuratus damnosissimus: Jupiter, si se in quadrato cum Saturno retrogrado, & in Marte cum Venere conjungit, benignissimi aspectus perhibetur esse: Si quispiam huic constellationi, tanquam suarum actionum gubernatrici subjectus peccatum perpetrat, extemplò in malè propitium fidus suos refundit lapsus, benigniorem optat constellationē: qui cum claudicante Alexandro

52 DISCURSUS II.

claudicat, cum Leonida incurvato curvus incedit, cum mordente Diogene mordet, cum rauco tuffit, cum strabone cœcutit, cum blæso balbutit; qui cum lupo rapit, vulpinatur cum vulpe, suum quisq; defectum & errorem à superioris & didascalii errore & defectu excusat. Magistratus omnis uti status mundi supra lunam semper serenus, sine nebula, supra omnem luteæ fecis evaporationem, quem turbæ vulgares sordidissimæ concretionis non attingant, virtute superior sit oportet, ut vel sic ab omni obscuritate & intemperie eximius cum auctoritate, juxta ac utilitate suis præesse possit: curet perspicaciam intellectus
serva.

DE INTELLECTU. 53

fervare, oculum animæ custodi-
re. Nam Princeps populi est
oculus. Esto igitur purus, defe-
catus, veri falsique perspicax, ut
eum pulverulenta peccatorum
nubes non turbet, non obnubi-
let. Plebs ex cœcitate Principis
excoecatur, atque, cùm alium
quàm Principis intellectum nō
habeat, ex impetu seditiosa ra-
pit consilia, illo destituta non fa-
nabitur, nisi in Principe sano
mens sanior renascatur; caveat,
ne insanis appetitionibus, quæ
tanquam vitæ honestæ carnifi-
ces omnia status commoda, re-
gnique præcidunt incrementa,
frenum laxet. Regna & regno-
rum stabilitatem parit mentis
integritas, & ejusdem ornatus,

54 DISCVRSVS II.

sobrietas. Quemadmodum ad
 mensam nemo non fenescit, sic
 nemo non surgit ab eadem in-
 felicior. Clodius in cœna im-
 moderatâ unâ dies & honores
 terminavit omnes. Satiùs est ad
 legem Fanniam & Liciniam,
 quarum altera parsimoniam
 imperat, altera tantùm herbas
 permittit, temperatè vivere,
 quàm vitam intemperantiâ tol-
 lere, & marmorì memoriæ toti⁹
 vitæ infamiam incidere: ne vel-
 uti Auspicius, qui post duos auri
 milliones abliguritos gulam ve-
 neno castigavit, æterno suppli-
 cio destinetur. Custodiat omni
 custodiâ cor suum Princeps, ne
 istis appetitionum furiis exagi-
 tatum cum jactura status irre-
 para-

DE INTELLECTU. 55

parabili evanescat. Parcat rationi suæ, ne prodigalitate sua regnum effundat, ne avaritiã comprimat. Sunt enim hæ duæ Magnatum Parcæ, ne quidem principali intellectui parcentes. Prodigalitas fermè destruit omnia, tantùm abest ut parcat. Robur regni attenuat & enervat, dum immeritos præmiis afficit, & multis insolentiæ luxuriæque segetem subministrat, ipsum Principem tandem ridendum proponit: ni velis esse ludibrio omnibus, istam opum fortunam frenis aureis gubernas; ne ceu effrenis caballus te leslorem in lacum excutiat; non profunde opes, non prodige, dona. Nam qui prodigus est opum, prodi-

56 DISCVRSVS II.
gus est rationis, & status; qui do-
nat, donabitur.

CAPUT VII.

*Intellectus ornamentum Li-
beralitas.*

Quemadmodum ad curan-
dum & conservandum in-
tellectum servit temperantia, ita
ne inficiatur, arcenda est prodi-
galitas & avaritia: amplectenda
est liberalitas: castiganda avari-
tia, quia omnium malorum ra-
dix est; adhibenda parsimonia,
quia opulentum rei vectigal est,
atque ut intelligentem commen-
dat, ita prodigalitas & avaritia
factis insipientem produnt. Jura
prodigum tutelæ, uti furiosum
sub-

DE INTELLECTU. 57

subjiciunt; avarum, cui tam de-
est, quod habet, quàm quod non
habet, execrantur. Est enim eo
nihil scelestius: Parsimonia sic
Principem exornat, ut nihil ei
desit, nihil supersit; sic tutatur, ut
nec implius opum sectator, nec
contemptor prodigus habeatur.
Eo enim ordine & modera-
tione liberalitatis sibi suisq; fa-
cit satis, ut, dum nihil profundit,
non dicatur avarus; dum donat,
non habeatur prodigus: In pau-
pertate non contractus, in divi-
tiis non dissolutus, nullâ inopiâ
conficitur, nullâ copiâ corrup-
pitur, atq; hinc liberalis audit, &
æqui, justiq; intelligentiâ com-
mendatur. Avaritia immanis
quædam bellua est, quæ suo pos-

58 DISCURSUS II.

sefflori necessaria adimit, aliis & necessaria & superflua extorquet, perpetua curarum hospes, & calamitatum ferva. Liberalitas parsimoniam nihil demit, perpetuam æquanimitatis genitrix & securitatis Magistra. Agesilai sagittarii civitates non bene munitas argenteis quasi hastis, quibus omnes difficultates cedunt, defendebant: Parsimonia & Liberalitas argenteæ sunt hastæ, quibus regnum debile augetur, & forte conservatur, quod male sanâ prodigalitate rationis & regnorum dissipatrice evertitur. Ulmus fortis & ramosa vites sustentat, debilis ad flatum Boreæ cum vite concidit. Ecceur Jovem regnorum Præsidem Junoni divitiæ:

DE INTELLECTU. 59

vitiarum Deæ connubio jun-
ctum gentiles referunt? ut nimi-
rum doceant Principem , qui
par connubium despexerit, fu-
turum fabulam theatri : Nero,
Caligula, Heliogabalus & cete-
ri profusores rebus etiam neces-
sariis vacuum vitam clauserunt.
Hujusmodi exitum parit prodi-
galitas. Alexandri intellectum
nihil tam destruxit , quàm gulæ
intemperantia , appetitus glo-
riæ, opum profusio. Constanti-
nos & Honorios nihil tam sanos
mente, quàm voluptatum tem-
perantia, moderatio gloriæ, &
opum cura egregiè liberalis, quæ
intellectum & regna reparant
& conservant, commendavit.
His ergò Princeps omnes toto

60 DISCURSUS II.


vertice antecellere debet, ut virtute & divitiis Imperio se dignum intelligat, videatque se vilem & despectum fore, si sepulto intellectu, qui Principum, subditorum, & virtutum oculus est, sese in appetitionum lacum præcipitari permiserit.

Quod ne contingat, uti quamplurimis contigit, postulet à Deo, & dicat: O Domine! ô æterna lux! imago, species & perfectissima omnium representatio, da lucem ut videam, explica veritatem ut cognoscam, da quod Patres nostri non intellexerunt, da ut supra senes intelligam viam mandatorum tuorum, veritatem creaturarum tuarum, & te æternam veritatem.

DE INTELLECTV. 61

ritatem: ex qua cognitione vile-
scet totus mundus cum sua con-
cupiscentia honoris, opum &
voluptatis. Tu enim gloria, tu
plenitudo lucis, tu claritas veri-
tatis! apud te nulla vicissitudinis
obumbratio, nulla falsitatis spe-
cies: clara enim & consummata
apud te est omnis veritatis noti-
tia, da ut abducar à me, ut addu-
car ad te! da æterna Veritas, te
ut perfectè cognoscam, & tibi
quicquid revelasti credam! da
ex hujus veritatis cognitione
cognoscere creaturæ incon-
stantiam, & fraudulentiam, &
earum laqueos evitare! da ut in-
tellectus tuo illustratus lumine
in tuæ tantum veritatis lumi-
ne conquiescat.

DISCURSUS II.
CONSILIVM DOMI.



Vis victor bellare! Domi meditare profundum
 Consilium: post hæc arma capesse foris.

DIS-

¶ (63) ¶

DISCURSUS

TERTIUS.

DE

CONSILIO,

Tertio S. Spiritus dono.

*Qui agunt omnia consilio, reguntur
Sapientiâ. Prover 13.*

CAPUT I.

*Principis Christiano-Po-
litici Consilium.*

A Udite Principes, audite
Principum Æditimi,
consiliorum magnorū
machinatores! præbe-
te aures vos, qui continetis mul-
titudinem, & placetis vobis in
turbis

64 DISCURSUS III.

turbis rationum & negotiorum!
Data est vobis à Domino pote-
stas, & virtus concessa ab altissi-
mo ad honestatem & salutem:
Interrogabit, opera vestra, &
cogitationes vestras scrutabitur
autor omnis boni & cordium
scrutator Deus, justus Judex: Si
gratiam spectatis, si odia existi-
matis, si sententiam, quam om-
nium optimam censetis, aut spe
aut metu declinatis, scitote,
quæcunque judicaveritis, in vos
redundabunt: Exiguo concede-
tur misericordia, potentes po-
tenter tormenta patientur. Quæ
ut effugiatis, sit vobis cor facile,
docile, consilii avidum, non sen-
sus luitenax, cedens sanè con-
sulentibus, parens honesto: sit
vobis

DE CONSILIO. 65

vobis senatus vester, corona,
animus, sensus: Nec pudeat
aliunde evocare, & alibi oriun-
dum fovere, quod domi non na-
scitur. Regius animus regis vir-
tutibus exornatus sit oportet,
qui consulendo rebus suis sem-
per prospicere sit paratus. Tan-
tis enim humana negotia impli-
cata sunt difficultatibus, tantis
opus est ad ea feliciter expediē-
da viribus, ut auxilia & consilia
sapientissimorum requirenda
sint. Eligendus est vivendi sta-
tus, idem mutandus, repellenda
est injuria, honor recuperan-
dus, deserendum est patrimo-
nium, herciscunda est hæredi-
tas, adeunda jura, deserenda ju-
ra, decedendum est regno, suc-
ceden-

66 DISCURSUS III.

cedendum est sceptris, ducendum est bellum, ferienda est pax, quàm providè, quàm circumspectè, quàm fortiter omnia partim agenda, partim ferenda, si singula ad utilem honestumque finem exoptas pervenire! Tot subitos humanæ conditionis casus, tot improvisa pericula, tot inexpectata damna, quis sine consilio moderari, quis moderatè ferre, quis cautè declinare possit? unius sanè prudentia tot casibus par esse non potest, unius fortitudo tot asperitates superare, unius consilium tantam negotiorum molem ferre non valet, nec tantam mediocriorum varietatem penetrare, neque discernere potest unus:

Res

DE CONSILIO. 67

Res dignitate primas, authoritate maximas, eventu periculossimas uno iudicio complecti, suo pretio aestimare, ad reip. & animarum utilitatem, honestatem & salutem derivare, quis poterit solus? Si vel sapientissimum Principem alrissimis suffultum causis solum tot infelices exitus penetrare, evitareque posse putas, nã tu mihi vehementer errare videris. Solius enim Dei est, non hominis, non Principis, nullius ope consilioq; egere. Si ergo esse, & haberi desideras sapiens, aliorum utere consiliis. Rex iste solus sapere, & prudentiã alios excellere videtur, qui consiliis utitur alienis. Sapiencia in consilio moratur, & eru-

68 DISCVRSVS III.

& eruditis interest cogitationibus, consilium audit; fons vitæ consilium est; perit fortitudo, nisi consilio fulciatur; non virtibus, non celeritate corporum res magnæ geruntur, sed scientiâ & maturis consiliis. An obscurum est ab hoste arma foris non metui, nisi ab eodem domi facta consilia metuantur? Fortunam laceffit, quicumque nauclerus procelloso temerè sese credit oceano; Mercator, qui eidem se concredit, suffocari, non ditari cupit. Qui sine consilio imperitæ multitudini novos census imponit, consuetudines immutat, fiscum ditare desiderat; tumultus quærit, & seditiones excitat perniciosissimas; qui
exer.

DE CONSILIO. 69

exercitum cogit, movetque in
hostem, non præviâ tantæ molis
& tam periculosæ alex consul-
tatione, victorem, ut plurimum,
hostem facit, regno fortassis
exuendus suo. Quisquis cœli
monarchici Atlas electus est,
Herculem adiutorem & consul-
torem habeat, cujus dextera
domitriæ clavâ monstrorum,
quæ veluti consilium ex rationis
officina petitum est, instructa
sit. Consilio qui utitur, regno-
rum parit securitatem, beatæ
subditos destinat tranquillitati.

CAPUT II.

Consilii Judex, Princeps solus.

Solus nihilominus, quid factu-
rus sit, sciat Princeps, cum
multis

70 DISCVRSVS III.

multis tractet, quid fieri oporteat. Magna enim negotia magnis egent adjuventis, sine quibus, etiamsi justam sententiam tulerit, non sapiens sed superbus audiet: Solus imperet. Nam impatiens societatis imperium est, cum socio imperante, intutum, cum consulente, beatum. Consilium cum sapientibus habitum felicitatem Principi ornatur: unde eum sæpius gloria publica ad se suaque sceptram rapit; qui negligit consilia, infortunatus est, qui impedit & spernit, infamis. Peritissimus medicus sue etiam insanitati alienum consilium adhibet. Cicero cum Platone malebat errare, quàm sine ipso benè operari. Maximus

DE CONSILIO. 71

mus Monarcha Christus de tormentis & morte sua cum Moyse è limbo , cum Elia è paradyso terrestri evocato consilium instituit, cum utroque veluti persecutiones experto, ut nos consultationes doceret, consultavit. Audiatur Princeps in gravioribus multos, concludat solus; ut relictis infra se cæteris, in negotiis omnibus major habeatur. Ne fallat, nec fallatur, studiosus sit ei animus, & regius; erga Deum sit eidem fides & fidelitas; in consultore verace & provido omne, quod honestum est, amet; qui regio lateri, auri, oculo & cordi peridoneus tunc erit, quando ambitus non ambit, donatus non ditescit, laudatus non

72 DISCURSUS III.

non intumescit; in quo cura divi-
norum, providentia humano-
rum, æquitas erga omnes eluce-
scit. Si enim Rex primam cu-
ram, quæ est cultus Dei, aut per
se, aut per suos neglexerit, à statu
se se deturbat, & à Deo veluti
ingratus honoris sui administer
deturbatur. Religione ad benè
consulendum omnibus opus est
verâ, ut animos liget, quorum
manus lege impressâ regi, ex-
pressâ servis, sunt ligatæ. Gravis-
simas sibi persuadeant, omnes
Magistratus, & se, & suos con-
sultores pœnas certò luituros, si
contemptâ divinorum ratione,
spretis divino cultui consecratis
Ministris, emolumentum secu-
lare, seculariumque effata pro
lege

DE CONSILIO. 73

lege habeant; Si rationem status religioni anteferant, si regionem quærant, & religionem prætexant, suæ religionis & officii immemores, impij in Deum & patriam contemptores, regniq; everlores. Agat igitur Rex omnia suo, & suorum sano maturoque consilio in causa Dei, in causa justitiæ & status sui; sententiam ferat solus, postuletque, ut ad finem desideratum actiones omnes disponat Deus: Dicat: ô Deus cœlorum! Dominus toti⁹ creature, exaudi me deprecantem, & de misericordia tua præsumentem; da verbum in ore meo rectum, & in corde meo corrobora consilium, ut eligam, quæ domui tuæ sint in sanctifi-

D

catio.

74 DISCURSUS III.

cationem, mihi populoque meo
in salutem ! agnoscant omnes
gentes, quia tu es Deus consilii
mei, & non est alius consultor,
quàm tu Deus meus, qui es mihi
in omnibus omnia in æternum.

CAPUT III.

Consilii Minister.

Tanta rerum agendarum dif-
ficultas, tanta negotiorum
multitudo & perplexitas, præ-
ter regios animos, virtute con-
sultrice directos, sollicitudinis
curæ & executionis, fidelibus
omninò eget ministris. Et
enim hoc Dei donum ad finem
obtinendum sit sufficientissi-
mum, optimum tamen, qui fu-

turo.

DE CONSILIO. 75

neorum successuum, quasi quidam providus, perspicax & efficacis metator sit, consultorem requirit. Si regi oculus, auris, manus, animusq; ministri fidelis est, salva res est: Si plus regem, quàm regia dona diligit consultor, exhibet indicium fidelitatis: qui si senex est, rerum experientis clarior valet consilio, quod, si junioris acrimoniâ à senili lenitudine ad mediocritatem, ne in fundo hæreat, extimuletur, eximium censebitur. Græci, Romani, Carthaginenses minorem, quàm quinquaginta annos natum consultorem non admittebant; Si Juvenis cum Cretensi Epimenide cubitum concedat, unâ nocte consene-

D 2 scet,

scet, & consultationibus cum
 reip. commodo intererit; Sic
 enim studio, & antelucanâ dili-
 gentiâ, consumptis humoribus
 reip. salutaris & pura prodibit
 actio. Vitæ probitas, virtutum
 ornatus, benevolentiaë usus, fa-
 cilitatis gratia, secreti, libertatis,
 veritatisq; dona senem probant
 consultorem, non dies, anni, sæ-
 cula. De turbida aqua quis po-
 tum hauriat? in cœno sese volu-
 tantem quis desideret? quis cau-
 sâ alienâ utilem, qui suæ vitæ
 inutilis est, judicet? cujus ani-
 mum voluptates occupant, libi-
 do devincit, avaritia subjugat,
 cupiditas perturbat, quomodo
 recti & quiq; consultor erit? Con-
 silium utile, honesta vita. Salu-
 bris

DE CONSILIO. 77

bris aqua odore, sapore & colore caret, consilium bonum nullo affectu adulterandum est. Qui Principi phlepotomiam, quâ viscera concidant, & cor sanguine destituatur, consulit, proditoris titulum, non consultoris meretur: auri splendor excoecat animos, & iniquo consilio conquisita utilitas malè statum Principis metitur. Qui Frederico Cæsari Bohemiæ regem, adhuc puerum Ladislaum perdendum, ut opes & regna auget, suadebant, divitem, non piùm Cæsarem efficere cogitabant.

* *
* *

D 3

CA-



CAPUT IV.

Consilii integritas.

INdecens, sua consilio dominia
 ampliare, consultori est. Nulla
 enim consilii fidelitas ea habe-
 tur, quâ neglecto domino quaeruntur opes. Potens illa opum
 Dea Circe carmine homines in
 sitibundas alieni sanguinis hi-
 rundines transformavit. Cave
 Princepsillam metamorphosin
 tuorum, & cum Antonio pio in
 ministro deprehensam statim &
 acriter castiga. Qui facit, quod
 non debet, pati quod non vult,
 cogendus est. Divitias abesse
 voluit à vocatis ad suam aulam
 discipulis verus verè politicæ Ma-
 gister

DE CONSILIO. 79

gister ac Princeps Christus, atq;
in compensationem desertarū
opum, statuit præmium, pote-
statem in extremo iudicio fe-
rendi sententiam: suffecerit mi-
nistris, Principis splendere gra-
tiâ, non auro. Uti apes ex flore
mel, sic à rege consultores le-
gant, non sublegant opes. Regis
gratia & honor stipendium esto:
donaria aliunde accepta aliud,
quàm officii honestas ferat, ar-
guunt: res sanè ut ingeniosa, ita
& periculosa est, donorum ac-
ceptatio; si innocentem non
corrumpit, vel iratum placat:
Ventus Borealis est, si navem
non submergit, concutit: qui
minister dives esse desiderat, re-
gem & regnum venale habet, &

80 DISCURSUS III.

ab uno facilè vendi potest, quod
à multis competitur. Si istam à
suo Principe negotiationem,
qui venditione honorum & offi-
ciorum sordes sectatur, didice-
rit, minore culpâ majora damna
reip. infert. Alexander Severus
istas sordes execratus est, eò
quod sciret ejusmodi emptores
sperare se fore majore cum lu-
cro venditores. Miseranda re-
gni conditio, ubi jus & tribunal
emitur & venditur. Melioris id-
circò notæ & famæ consultores
eligendi, probandi, honorandi-
que sunt. Tacitum & veracem,
expertum & liberum, sapientiæ
& æquitatis studiosū esse oportet,
qui regi & regno à consilio
erit; hic ille ipse est, qui Deo &
reli-


DE CONSILIO. 81

religioni, regi & regno fidem & obsequium consiliis suis exhibiturus est : Silentium profectò magnum rebus fortunatè gerendis sacramentum. Cui grave filere est , gravius eidem rem magnam sustinere est. Mysteria regis abscondere , regium est. Lex curiæ Spirensis est: Nihil injussu Cæsaris revelanto. Discat ergò filere, qui fructuosus consultor cupit haberi. Alphonsus Rex Neapolis & Arragoniæ , si tempore Romanorum vixisset, atque modò viveret, aram ante curiam erigeret, ut ingredienti Jovi Positori privatos affectus, egredientes secreta consiliorum ponerent. Prò Deum immortalem! quantas clades fecit

82 DISCURSUS III.

reip. quanta damna intulit regnis & lingua præcox, & calamus velociter scribentis! Exercitus non potuerunt restituere. Si loquendum est, ubi occasio & obligatio urget, liberè profer veritatem. Theaurum sese reperisse gloriatur Princeps, ubi invenerit, qui abscondam veritatem & tegere, & ubi oportet, detegere audeat: Ars chymica est, quæ in aurum regni statum transmutat. Nisi hanc Pharaon reperisset artem in Josepho, qui etiam ex somniis veritatem ad regni felicitatem produxit, regnum fame perierisset.

CA-



CAPUT V.

Consilii Adjumentum.

PRINCĒPS etsi longas habeat manus, brevis tamen est visus. Turbo eget amico, per quem adjutus potentium aures fugientem veritatem attingat. Facile Polyphemus Monophthalmus excœcatur, Hecatontophthalmus Argus vi quadam diviniore ad somnum urgendus est. Multa salus, ubi consilium; nulla salus, ubi nulla veritas; ubi nullum secretum, & rex & regnum in ludibrio sunt. Quæ vulgi ore & querela de iniquitatibus circumferuntur, non dedignetur à consultore Princeps audire.

D 6

Nec

84. DISCURSUS III.

Nec enim contra Principis authoritatem est, miserorum calamitates intelligere, cum teneatur mederi; Nec dedecet virtutem alienam disciplinam instructam exercere, ut veritatem addiscat & justitiam exerceat. Tirones, Moriones, Baldi, Machaones, Theosophi & Mystagogi juxta functiones suas sæpè veritatem effundunt. Quid obest excipere? præterita sanè à consultoribus, gemitu miserorum & lacrymis querulantium sæpè manifestatur. Rex Antiochus in rustici tugurio, se ex consiliariorum malitia malè regnum administrare, didicit, & venationis amore negotia sese negligere inaudiit, vitavitq; quæ prius nocue-

DE CONSILIO. 85

cuerunt. Nisi ergò Princeps cum rep. interire velit, ad consilia non nisi fidos & taciturnos admittat cum Persis ; cum Ægyptiis linguam arcana detegentibus abscindat. Serius namque cum Rege Macedoniae Philippo consultorem Demetrium culpabit perditus, letius Consiliariis improbitatē cum Ochiazia exprobrabit. Cum Theopompo ad regni conservacionem justam dicendi libertatem concedat consiliariis, veritatis cupidior, quàm novitatis ; veritatis inquam liberæ, aperta & ingenuæ. Cum Alexandro Severo in eos animadvertat, qui veluti Deorum internuntii & secretorum interpretes à vero

86 DISCVRSVS III.

& populo femovent , & includunt Dominum suum , ut quid agatur, ignoret, donec perire se, aut periisse videat. Si religio, si regio, si aula, si fiscus, si pax, si bellum in consultationem veniunt , adhibendi sunt singuli singularum harum artium Magistri pil, gnari & experti. Quid legum , canonum, religionis, conscientiaque ignarus , quid clandestinus omnis pietatis adversarius, nisi ejusdem & totius cultus divini compressionem suadebit ? Quid inexperti bellum, arma, difficultates , nisi vel turpem pacem suadebunt , vel spelucris bellandi ignaviam continuabunt? Quid aulae, politicesque incapax, nisi sordes & mille

deho.

DE CONSILIO. 87

dehonestamenta inducet? Consultores ergò regni, & religionis, & sapientiæ, & æquitatis, & omnium virtutum non tantùm gnari magistri, sed & pientissimi exercitatores esse debent. Ad jocos, ad sales, ad facetias, ad sarcasmos, ad melancholiæ dissipationem, ad temporis jacturam, Comœdi, Logo Dædali, Parasiti, Panto-Mimi, Zoili, Moriones, temporis, ærisque decoctores admitti possunt, ad seria reip. negotia, ad gubernationes animarum & consiliorum, non nisi viri omni virtutum genere exornati, scientiâ non vulgari imbuti, experienciâ per amplâ instructi, pietate perquàm eximii evocentur, in quibus virtus appareat,

88 DISCURSUS III.

pareat, quæ auroræ instar ad utilitatem honestatemque Principis, imò ad amicitiam ejus, veluti ad diem crescat, neque tamen in solem sese transformet. Quod ut Christiano-Politicus Princeps obtineat, postulet à Deo, & dicat: O Judiciorum incomprehensibilis Autor Deus! O consiliorum abyssus! contra quem non est consilium, quia magnus est consilio & cogitatus; da ut cognoscam sensum tuum Consultor æterne: audiam consilium tuum: sis mecum, ut sapiam & intelligam, & provideam novissima. Nemo, qui secundùm leges judicare debet, agat contra te, qui pravorum consilia dissipas, serva animam
à ma-

à malis, & dirige actus nostros
ad gloriam tuam & salutem no-
stram.

CAPUT VI.

Consilii Praeses.

ADjumentis consiliorum &
virtute consultorum confir-
matus Princeps veluti terrestris
Deus, ad quem, ut rerum om-
nium gubernatorem, & largum
gratiarum patronum recurrant
omnes, censendus est: Solus pœ-
narum & præmiorum sic distri-
butor. Sic enim & Dei, & ejus
Unigeniti, & Ecclesiæ, & totius
naturæ monarchicam guber-
nationem imitatione exprimet.
Excludenda est gubernatorum
socie-

90 DISCURSUS III.

societas, ne internorum vitiis, & externorum machinis sibi ipse obsit: Alterum sibi parem, pluresve suæ authoritatis usurpatores non toleret. Alexander Magnus ab Asiæ Imperio Darium exclusit; Tiberius Sejanum, qui suum thronum Tiberii parem throno collocaverat, delusit. Dum unus Romanum Imperium rexit Augustus, pax erat; dum detrectabant Romani parere uni, erat perturbatio. Magnesianus nobilis exesse ex patria iussit parem Hermium, ne Mithridates urbe potiretur; Cleon etiam amicos à se gubernatore abesse voluit. Unum solem in cœlo, unum navarchum in classe, unum patrem familias

DE CONSILIO. 91

& in domo, unum ducem in exercitu, unum regem in regno esse oportet. Una ratio pluribus sensibus imperare novit. Quando Apollo ad currum solis circumducendum admisit filium, mundo scandala & damna reliquit. Tricorporis Gerion monstruosus erat gubernator: Virgæ vel fauces regnorum unum debent esse sceptrum, vel unius voluntatis vinculo colligatum: Unitas bonorum fons, multitudo imperans, malorum est scaturigo. Ut igitur Princeps parem in suo statu nec plantare, nec tolerare debet; sic qui consilio, prudentiaque tanta in rerum turba & gravitate sibi assistant, foveas habeat, qui pietate & justitia, pru-

92 DISCURSUS III.

prudencia & experientia excellant, singulos in singulis eximios negotiis. Nec enim dum gubernatorem, legis, sententiæque latorem solum Principem constituimus, eundem omni destitutum auxilio alienæ industriæ prostituere volumus. Verùm quemadmodum ad munus suū rectè riteque obeundum oculis, auribus, corporis, animæque facultatibus uti debet, ita eundem uti vivis, mortuisque magistris non prohibemus; princeps cura fit Principi, ut venerabundus Dei gubernatoris favores, veluti solus suorum censor, Dominus, Judex & Pater efflagitare conetur.



CAPUT VII.

Consilii Assessor triplex.

DE tribus potissimum Princeps, sub salutis periculo, Gubernatori & Judici omnium rationem reddere tenetur. De religione, de rectâ civilium causarum, morumq; administratione, atq; de justa continendi suos in officio erga Deum, Magistratum & vicinos, tam amicos, quâ inimicos moderatione. Unde lectissimi viri instituendi sunt administri, qui præter literarum virtutumq; ornamenta nulli alteri obligati, nullis partiû commodorumq; studiis obnoxii, solum Deum, ejusque causam, solum Principem, ejusque statum,

94 DISCURSUS III.

solum Principatum, ejusq; integritatem attendant: singuli præter communem literarum & virtutum ornatum propriis suæ functioni disciplinis exculti sint: sic nimirum sua Princeps & ministrorum bonitate felix erit, & felicissimus, si consiliorum ministros sua servorum conditione contentos continuerit. Remuneretur eosdem honorificè, ne aliunde ditescere conentur: qui intra suos terminos constituerint, regi regnoq; salutem, uti Dædalus, comparabunt; qui excesserint, uti Icarus, regem regnumq; præcipitabunt. Rex in sua auctoritate, consultores singuli in sua quilibet functionis sphaera & materia saluti erunt populo. Rex deniq; unicus esto.

DE CONSILIO. 95

Luna, sidera reliquiq; cœlestium
 globorum ignes, etsi luce calo-
 req; à sole decerptis rebus infra
 positis etiam atq; etiam profint,
 solis tamen naturam induere
 universi author inhibuit. Papi-
 nus Childerici Franciæ Regis
 splendorem penè exæquavit, &
 coronam obtinuit, ipsumq; re-
 gni solem Childericum Rex
 confirmatus obscuravit; Agefi-
 laus Alexandro amico tantam
 dominationem permisit, ut ipse
 rex, regni umbra & servus, Ale-
 xander verò Rex fuisset judica-
 tus, nisi arte Epimenidis è sopo-
 re excitatus, negatis gratiis, &
 prohibito ad illum accessu, ad
 suam conditionē Alexandrum
 unius fermè diei Regem redu-
 xisset Agefilaus. Trasibulus al;

96 DISCURSUS III.

tiores spicas scepro decussit. Tiberius Imperator Germanicum nunquam rediturum, honoris quidem prætextu, re autem verâ, ne suis officeret luminibus, in longinquam provinciam ablegavit. Si præsentia regna affectant præclare, impiè, si innocentes debitam hæreditatem pacificè expectant. Sit igitur Princeps ipse moderator consilii & consultorum suorum; probi ministri sint firmissime regni bases, seq; intra virtutis, munerisq; sui ambitum contineant; extra hunc, regis regnique sunt ruina: Adorari se à conservis non permittant, regias gratias sibi non sumant: Sin, certò sibi persuadeant se, si non mole sua,

ac

DE CONSILIO. 97

at profectò alienâ vel justitiâ, vel
invidiâ ruituros : Idcirco pru-
dens piusque Princeps, si fide in-
signes regnoq; honorificos mi-
nistros desiderat, consilio agat
omnia ipse, & virtute peritiaque
ornatos eligat consultores, dicit
ipse intra sortem Dominator
solus, sol siderum; & se regnum-
que suum posteritati & æterni-
tati commendabit, atq; ut obti-
neat, dicat: Clementissime re-
rum omnium moderator, om-
nium director & consultor, da
ut, quod jubes, fiat, & jube quod
vis, gubernationem justam ju-
bes, veram jubes, modestam ju-
bes, religiosam jubes, pacificam
& salutiferam jubes, da quod ju-
bes, & jube quod vis.

E

DIS.



*Astra, Notus, ferrumque, ferax, geminato furoribus
Mens munita sacro robore, tuta manet.*

S. Bonifacii

DIS-

DISCURSUS

QUARTUS.

DE

FORTITU- DINE,

Quarto S. Spiritus dono.

Consurge, consurge, induere Fortitudinem tuam! Iai. 52.

CAPUT I.

Principis Christiano-Politici Fortitudo.

Diligam te Domine fortitudo mea! Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus! Circumdede-

100 DISCVRSVS IV.

runt me inimici, & tauri pingues
obsederunt me. Sine te nihil
possum, tecum omnia. Tua ope
ex statu peccati & damnationis
ad statum gratiæ & gloriæ assur-
gimus, tua ope hostium robur &
calliditatem, machinas, & insi-
dias frangimus, elidimus, & su-
peramus. Tua ope imbelles vi-
ctoriam, & pueri triumphales
coronas reportârunt, imò terræ
inquilini coelum expugnârunt.
Fortissime Deus Israel! Da, ut
induar hac tua fortitudine, da,
ut particeps fiam virium, quibus
inimicus omnis succumbat; sis
tu fortitudo in omni tribulatio-
ne, munimentum humanæ
mentis inexpugnabile, à quo
fortitudo, quæ Principis statum
circum-

DE FORTITUDINE. IOE

circumvallat & tutatur, quæ vi-
tiorum impetus, fortunæ insul-
tus, hostium machinas frangit,
reprimit & enervat; quæ infra-
ctis viribus ipsa virtutum om-
nium ornamenta, gratiarum ci-
melia, ipsum denique Deum ex-
pugnare, & felicissimam quan-
dam victoriam reportare vide-
tur, ortum trahit. Hæc si adver-
sa impetunt, non inconsultò ti-
met, si ardua impendent, non te-
merè audet; hæc aggreditur, illa
superat: Moderatum, tempe-
rantem, justumque facit Princi-
pem, ut Dei honorem & maje-
statem pro reip. salute summis
etiam cum periculis & labori-
bus sustineat, parens orphano-
rum, tutor viduarum, satelles di-

102 DISCVRSVS IV.

vitum, oculus cæcorum, prone-
xeta salutis publicæ, terrestris
quasi quidam Deus, & in cura
singulorum & omnium indefel-
sus & imperterritus propugna-
tor, qui non tam legis rigore au-
daciæ humanam, quàm regis
fortitudinis terrore coercebit.
Si variarum appetitionum telis
pharetrata minatur avaritia
bellum, opum aviditate se vinci
non finit; Si variis cupido illece-
bris animum inescare & dissol-
vere attentat, disjicit; Si calami-
tas, mortis metus, tyranni perse-
cutio arma movent, classicum
canunt, aciem instruunt, forti-
tudine hac suffultus Princeps
huic non succumbit, illam con-
temnit, isti insultat. Viâ consistit
regiâ

DE FORTITVDINE. 103

regiã vir fortis, à qua nec ad dex-
teram declinat, ut temerarius &
pertinax, nec ad sinistram, ut
formidolosus & pavidus: videre
mihi videor hoc aggere circum-
vallatum virum, ad labores in-
victum, ad pericula audacem, ri-
gidum aduersus voluptates, vi-
ctorem denique prosperitatis &
aduersitatis, diuinum Hercu-
lem; ad quem si naturæ robora,
belli nervus, subditorum bene-
volentia, armorum peritia, benè
educata soboles, recteque con-
stituta ministrorum obsequia
acceserint, fortissimum Princi-
pem peculiari curâ diuinæ pro-
videntiæ tutum, urbium & ani-
morum expugnatorem suspe-
xeris. Nec quicquam efficacius

ad regnum conservandum istâ
 Dei, animi, corporis, fortunæq;
 curâ & armaturâ expugnare ne-
 scia expugnare peritissimâ ex-
 cogitaveris.

CAPUT II.

Fortitudinis Benevolentia.

OPes conservantur industriâ,
 populi benevolentia bene-
 ficiis obtinetur, quibus etiam
 custodiæ potentissimæ & fide-
 lissimæ curantur. Principis amor
 contra alienas injurias scutum
 est; qui è pede leonis spinam ex-
 traxerit, fortissimum sui defen-
 sorem effecerit: benefaciendo
 adversa prosternit & depugnat;
 injuriando excoecatur ut Sam-
 son,

lon, & vehementer collis curiæ
 suæ columnis opprimitur: quos
 fideles bello ex oriente experiri
 oportuit, si discordes opum, ho-
 norisque studiis tolerat consul-
 tores, fovet eversores. Malè cu-
 stoditur civitas, quando odium
 populare grassatur, & tantarum
 scopus offensarum Princeps ef-
 ficitur. Virum fortem injuriæ il-
 lata, & æquo animo superata, &
 faciunt, & probant; non cruda
 in subditos barbaries fortitudo
 est. Si necesse est agere in subdi-
 tos, tondere suos non deglubere
 addecet. Qui vult amari Prin-
 ceps, largâ & languidâ regnet
 manu. Principis amore natus
 amor ad servitia & fidelitates fle-
 ctit omnes; difficultates frangit

E s omnes;

omnes; Si odio dissidentes inter se fregerit, sui victor omnibus profuerit. Sapiēter amoris Dea, Venus, armorum Deo Marti juncta in picturis gentiliū conspicitur: In Principe laudandum illud connubium, quo majestati amor jungitur: hac in sede majestas & amor optimè conveniunt, fructuosissimè commorantur. Hoc igitur Princeps præsidio munitus virtutum, unde unde provenientium hostiū impetus retundet. Dei tutela armorum clypeus est; virtutis magnanimitas, classes & legiones; amor civium auctus donis firmum est regni munimentum, quod hostes metuant, quod majestatem stabiliat. Quod si in ista
 ani.

animi generositate æquitateq;
 Principem bellorum injuriæ la-
 cessiverint, compositis suorum
 animis, conjunctis viribus, vitio-
 rum superato agmine, in majora
 adjumenta explicato animo, ar-
 ma capeffat, pugnet animis, pu-
 gnet verbis; aureis, argenteis,
 ferreisque, prout sæcula fuerint,
 pugnet hastis. Sunt enim tem-
 pora, quibus ferro, sunt, quibus
 verbo, sunt, quibus auro amor,
 honor & majestas conciliatur &
 conservatur. Unde si Deus pa-
 cis, qui & exercituum Deus est,
 bellum immiserit, oppugna &
 expugna vitia, aggredere ho-
 stem, postula fortitudinem &
 dic: Da regnorum Princeps
 æterne, tutor regni & populi,

108 DISCURSUS IV.

animo meo profundissimam re-
verentiam & amorem erga for-
titudinem tuam! Domine for-
tis, Domine potens, in adjuto-
rium meum intende, ad adju-
vandum me festina: circumde-
derunt me canes multi; consi-
lium malignaverunt super me,
nihil sine te possum Deus forti-
tudo mea, in te, & per te spero
auxilium; da vires, ut de omni-
bus hostibus tibi erigam tro-
phæa victor.

CAPUT III.

Fortitudinis Exercitium.

Celata virtus ab inertia non
multum distat, sæpè ipsissima
& prudentum, & vulgi ore ap-
pella-

pellatur ignavia, cui omnes Dii
negant favores. Exere vires,
quisquis Athleta Christi audire
desideras: confortare, & esto ro-
bustus, si regni incolumitas, po-
puli salus, Dei honor exigit; si
necessitas urget, indue armatu-
ram Dei, cuius causam tuæ
communem facias oportet. Nō
metue, quid faciat tibi homo,
Dominus protector vitæ tuæ,
status tui, posteritatis tuæ, à quo
trepidabis? Galeam capiti, lori-
cam pectori, scutum sinistrae,
acinacem dexterae insere, liber,
intrepidus, alacer magna aggre-
dere: Sit fortitudo tua lex Justi-
tiæ. Si leo rugiens, si ursus esu-
riens, si lupus diripiens rictus
pandant, dentes stringant, un-

110 DISCURSUS IV.

gues explicent, accinget se, & te
Deus, Deus exercituum ad præ-
lium. Ubi enim est domus Iusti,
& domus Sapientis, plurima est
fortitudo, multa victoria. Leo-
nem Samson domuit, David ad-
huc juvenis discerpfit. Ipse De⁹
author & amicus pacis, exerci-
tuum quoq; Deus appellari vo-
luit: Si causam ejus egeris, in ho-
stium interitum animabit ven-
tos, exiccabit maria, armabit
coelos, sistet solem, bellum ge-
ret, ducet turmas, sternet ho-
stes, non immemor causæ suæ in
suos, tuosque triumphos largie-
tur laureas. Non time, ignavos
despicit, magnanimos adjuvat,
timidos repellit, fugiet impius,
nemine persequente, ut justus
quasi

DE FORTITVDINE. III

quasi leo imperterritus triumphet. Imitare Moysen, Josuen, Machabæum, pro aris & focis præliati victorias reportârunt. Attende solùm, ne te Bethsabea impediât, ne te Dalila enervet. Scipio Africanus, Valerius, Pompejus magnus, Trajanus, Adrianus, Aurelianus, & sexcentialii non artium tantùm & amorum, sed & armorum labores experiri voluerunt. Delitiis & divitiis Heroes isti, Duces & Imperatores egestatem & asperitatem sæpiùs prætulerunt. Ad exemplum Imperatoris sui Marii milites à laboribus bellicis, muli Mariani dicebantur: Sic nimirum à Duce stragibus edendis assueti, ut fermè sine anheli.

112 DISCURSUS IV.

helitu, sine sudore in bello Cimbrico multa millia ceperint, multa millia deleverint. Caroli, Ferdinandi, Casimiri, Leopoldi, & ante hos Dagoberthi, Clodovæi quid non pro sua Deiq; causa præstiterunt? Sentire ærumnas, experiri exilia, calamitates sustinere, suorum clades ad mortem usque perpeti voluerunt, ut de Dei hostibus triumpharent. Militiam credebant esse eam, in qua fortitudo infirmitatibus roboretur: Disciplinam virtutis, in qua calamitas Magistram agat. Si qui celebrantur fortes, in ærumnis utriusque militiæ, sacræ scilicet & profanæ floruerunt. In cruce Christus, sub cruce Theotocus; in igne Ana-


DE FORTITVDINE. 113

Ananias , in cratibus Lauren-
tius, in pressura, in cippis & cata-
stis, in equuleis, in rota, in ferro
quam plurimi tormenta & ipsam
mortem superârunt, & glorio-
sissimè triumphârunt. Contem-
plare ista , & admirare divinæ
fortitudinis exercitamenta. Phi-
losophum cum paupertate,
Theologum cum ludibrio, Ora-
torem cum sarcasmo, Religio-
sum cum sibilis & illusionibus,
militem cum morte fortitudo
componit, atque uno in theatro
cœlo terræque spectaculum ex-
hibet admirandum. Quòd illud
vas electionis, divus Paulus de
contumeliis, de falsitate fra-
trum gavisus fuerit, fortitudo
fecit. Fortitudo mater est tole-
ran-

114 DISCVRSVS IV.

rantia, magistra paupertatis, victoriam omnium difficultatum; imò ipsius mortis. Hanc si Christianus Princeps omnium virtutum parentem, omnium malorum victricem possederit, beatitudinis magnam partem in hac vita obtinuit. Insidias sceptris & coronis, Imperio & subditis, vitæ & hæreditati structas vilificiet; sola hæc ad domandos animi motus, ad repellendas belli injurias sufficere Principi videtur, sola dignum Imperio, triumpho, & memoriâ non moriturâ facit Imperatorem; sola hæc artem bellandi nobilitat, artem, quâ injuriæ arcantur, jura dicuntur & distribuuntur, atq; regna conservantur, extollit.

CA.



CAPUT IV.

Fortitudinis Victoria.

Nobilissima pacis genitrix,
 utilitatis & honestatis pro-
 creatrix est fortitudo: quæ om-
 nium incommoditatum victo-
 ria, post bellicas etiam calamita-
 tes devictas, rerum pub. unicum
 penè emolumentum est & orna-
 mentum. Percurre unà mecum
 castra, exercitus perlustra, da-
 mna, cruditates, excidia, inter-
 neciones attende, & omnium
 istarum miseriarum victricem
 & triumphatricem reperies for-
 titudinem. Bellum præter du-
 bios eventus Principum æraria
 exhaurit, calumnias gignit, fce-
 lera

116 DISCURSUS IV.

lera & scelerum impunitatem
 infert; hac in disciplina & salus
 regis, & regni periclitatur. Hæc
 & sexcenta alia vincit fortitu-
 do. Si miles linguâ magis & fau-
 cibus, quàm velitationibus; ma-
 gis vitiorum insolentiâ!, quàm
 ferro dimicet, vincit istam im-
 pudentiam fortitudo. Si Dux
 belli non tam regi, quàm regis
 spoliis, non tam justæ causæ,
 quàm suo honori intentus sit,
 vincit istam iniquitatem forti-
 tudo; si & Dux & miles, socio
 surripere, quàm hosti, doctiores,
 atque ad fugam, quàm ad pu-
 gnam aptiores fuerint, vincit
 istam injuriâ fortitudo: Si uterq;
 inexpertus, ignarus, infausto
 eventu perterritus, non tam re-
 gem

DE FORTITUDINE. 117


gem victorem, hostemque victum, quàm bellimoras, provinciarum vastitatem, fortunarum suarum augmenta, vindictæ occasiones, honorum suorum continuationem intēdant, vincit istam fraudulentiam & dolositatem fortitudo. Magnæ sanè sunt calamitates belli, plagæ magnæ, quæ etiam à justa defensione bellatorem robustum & generosum absterreant. Attamen efficit fortitudo, ut vir fortis, obducto miseriarum callo, plagas istas non æstimet: Regni vastitatem, animorum squalores, injuriarum exercitationes, suimetipsum penè & regni excidium perferat. Siquidem viro forti ipsa etiam mors altera vita esse

esse debet. Animosè igitur susti-
nendum est illud calamitatis
bellicæ patagium, modò neces-
sitate compulsus Princeps bel-
lum suscipiat, generosè vitia &
hostes oppugnet, sub suis signis
impunitatem sceleris permittat
nulli, ne idem flagitium sæpiùs
incassum castigare videatur. Vi-
ctoria sanè ejus erit, qui prior
mialis occurrerit. Æmilius Pro-
bus nunquam, nisi coactus ne-
cessitate, & utilitate persuasus
acie confligit: Fabius cunctator
sedendo, invicti alioquin Han-
nibalidis effectus est Victor; severi
enim in vitia, pii in patriam fue-
runt. Quicumque ad hoc fortitu-
dinis exercendæ theatrum pro-
trusus est, quicumq; ad hanc bel-
line-

DE FORTITUDINE. 119

linecessitatem compulsus est, à
ratione ducat exordium, tar-
dum consilium celeris executio
excipiat; utendum est arte mili-
tari etiam fortissimo, non ad vi-
tia alenda, non ad fines injustè
extendendos, sed ad justitiam
unicuique distribuendam; in
cursu sagacitate, patientiâ & di-
sciplinâ utatur, & victoriâ potie-
tur. Justitia belli esse debet non
ratio justitiæ adumbrata, reli-
gionis in Deum obligatio, non
ejus prætextus, non regionis de-
siderium, suorum in jure & li-
bertate conservatio, non præ-
tensæ libertatis larva, si à Deo
felicem belli eventum speres.
Qui regnandi libidine, qui alter-
candi studio alienis insidiatur li-
miti-

mitibus, alienis sceptris & dignitatibus inhiat, nisi à tanta ambitione, invidiâ & iniustitiâ adhibito conatu fuerit impeditus, injuriæ omnis iniustitiæque vindex Deus insolentem in alienis juribus possessorem & triumphatorem novo bellandi modo, malo rerum usu, corporis eluvie, famæ jacturâ, bonorum incendio, spoliolorum naufragio, suorum penè infami intereptione, fame, mortalitate, totiusque status sui pristini, præsentis, & futuri everfione, in viri fortis & sui victoris favorem castigabit: & hanc cladem infert patientia: hæc tam laboriosa de hoste victo & victore statuit trophæa, fortitudo.



CAPUT V.

Fortitudinis Industria.

PUGNET nihilominus injustè
 laceffitus bello, pugnet ar-
 mis, pugnet animis. Si vincitur,
 victor sui sit, & æternum trium-
 phabit. Pugnet generosè, si
 aperto Marti aleam belli non
 credit, si suorum timiditate, &
 virium tenuitate, si hostium in-
 solentiâ & numerositate pericu-
 lum subire metuit, non abjiciat
 animos. In justo bello insidiæ &
 stratagemata gemmæ sunt. Si
 tubarum clangore terrere non
 valet animos, pertentet elo-
 quio; si ferro non valet, aurum
 adhibeat; auro omnis majestas

F

vena-

venalis est. Gedeon Madianitas dolo vicit; Gabaonitæ saluum conductum ab Israëlitis dolo obtinuerunt: Præclarissimi milites in assultibus leones, in astu sæpè non infructuosè vulpes fuerunt. Achylles artis militaris peritissimus, & fortissimus Magister medullâ leonum & cervorum nutritus fuit: Cautis scilicet & audacibus præceptis instructus esse debet militiæ Dux & Imperator. Victoriâ facile reportabit, qui loci, temporis, armorumque attendit commoditatem, qui in ignavis ignaviam castigat, in valerosos liberalitatem exercet, justitiam stipendiariis administrat, qui ho-

stium

DE FORTITUDINE. 123

scitum vires, machinationes, secreta & decreta penetrat, qui utilitatis occasiones in manus inimici elabi sibi non sinit, qui inter hostes donis & promissis lites seminat, & promovet, qui suis annonam deesse non patitur, non credulus novorum, non immemor periculorum; Victor denique erit, qui legis divinæ atque militaris disciplinæ accuratus, sapiens, piusque observator, veluti Dux & Magister, tam contra vitia, quam contra inimicos, mente, linguâ, manu, pro se, suisque pernox & perdius steterit, vigilaverit, pugnaverit. Victor in cladibus, victor in vastitate provinciarum, victor in

124 DISCURSUS IV.

omni calamitate erit, si delevictoriam reportaverit. Atq; hæc sunt fortitudinis opera, infra quæ longè Agamemnones, Jasones, Alexandri, Brutique fuerunt. Nam ad Redemptoris nostri leges sunt hæc bella, secundum normam à Deo præscriptam, ad status tranquillitatem & pacem æternam instituta; quorum finem ut assequaris, postula à Deo & dic: Dominator Domine longanimis & fortis, qui confringis cedros, qui conteris montes, qui eligis imbella, ut confundas fortia, confirma me hoc robore tuo, ut nulli hostium succumbam; qui præstabilis es super omnia, præsta, ut vincam memet & aduersum te
pu-

DE FORTITVDINE, 125
pugnantes; da ut induar fortitu-
dine; quâ de victâ terrâ cœlos
expugnem, & tua fortitudine
fruar in æternum!

CAPUT VI.

Fortitudinis Potentia.

INterrogatus Socrates, quid sit
fortitudo, nodum esse animæ
respondit: vinculum nimirum,
quo anima corpori, & homo
omni virtutum ornamento non
solùm connectitur, verùm et-
iam contra omnes internos ex-
ternosque hostium impetus, ne
tantis malorum violentiis ad di-
vinæ legis prævaricationem, &
inde ad æternæ damnationis
abyssum abripiatur, armatur.

126 DISCURSUS IV.

Interrogatus Democritus, quid fortitudo efficiat? dispendia, in-
quiebat, imminuit; nimirum
fortiter ferendo omnia aduersa,
quæ nobis nostrisque rebus in-
teritum afferre videbantur, vin-
cit. Dispendium est, si incen-
dium devorat domicilia, immi-
nuit illud fortitudo; dispendium
est, si hauriat oceanus fortunas,
minuit fortitudo; dispendium
est, si inimicus furor vastat re-
gna, minuit fortitudo; avaritia
& ambitio in tuum excidium
armant amicos, imminuit hoc
dispendium fortitudo; mortali-
tas squalorem inducit, fames
enecat, exulcerant morbi, rapi-
tur proles, decidit corona, excu-
titur

titur sceptrum, periclitatur vita,
 quantarum rerum quanta di-
 spendia ! omnia ista imminuit
 fortitudo. Nulla istarum ad ver-
 sitatum voluntatem in Deo fi-
 xam, atque fortitudine solidi-
 tatam in pravum flectit; fortitu-
 do ipsâ morte, quam in trium-
 phum ducit, fortior est. Tametsi
 enim mens corpusque dolori-
 bus usque ad mortem excru-
 cientur, fortis ab amore & usu
 honestatis non avertitur. Ho-
 stium insidiæ, machinæ, insolent-
 tiæ, violentiæ, ipsæ etiam victo-
 riæ prædominentur; contra om-
 nes omnium hostium conatus &
 triumphos vir fortis iis, veluti
 glorię suæ instrumentis, ad suam

128 DISCVRSVS IV.

felicitatem & salutem utitur; ita
ut omnia incommoda vertat in
ulum Justitiæ, omnia rerum di-
spendia in salutis compendia.
Hinc, qui inter invidiæ flammæ
inviolabilis, inter voluptatum
illecebras ferreus, inter dolo-
rum acrimonias impenetrabi-
lis, inter mortis terrores imper-
territus ignem, ferrum mor-
temque sustinet, beatus effici-
tur: quia fortitudine roboratus
sustinuit. Fortis in civitate mu-
rus, in munitione propugnacu-
lum, in oppugnatione machina,
in assultu expugnator est; inter
ærumnas robustus, inter rerum
angustias non contritus, uno
defunctus periculo, proximis &
gra-

gravioribus paratus est defungi
vir fortis.

CAPUT VII.

Fortitudinis Fructus.

TAuri Marathonii cornua
comprehendere, Nemeæi
leonis robur elidere valet vir
fortis. Conjice eum in morta-
rium, veluti crudelis Nicocreon
Anaxarchum, respondebit cum
hoc Philosopho, mantica, exu-
viæ, emortuæ pelles, non fortis,
non Anaxarchus tunditur: Ven-
de Ægyptiis, Prorex erit; proji-
ce in ardentem fornacem, can-
tabit; Si cum Lucio Licinio den-
tato centies & vigesies victorio-

130 DISCURSUS IV.

so sexcenties vulneretur & concidatur, si cum Cecrope, si cum Codro pereat, nullus eum aduersitatis concursus, nulla eum mortis crudelitas à mentis libertate, tranquillitate & salute auocabit. Hic sanè non Achylles Romanus, sed Princeps Christianus est, qui rejectis superfluis, contemptis opibus, sola honestate, sola virtute contentus aduersa non timuit, in prosperis se non extulit, certus humanæ imbecillitati firmissimum præsidium hoc fortitudinis divinæ dono non concessum, quo penè solo reipublicę incolumitas animæque salus conservatur. Tanti viri pretium procul & de ultimis

DE FORTITVDINE. 131

mis finibus est! tanti viri indu-
mentum fortitudo est! tanti viri
DEUS, DEUS fortis, DEUS prote-
ctor, DEUS adiutor est! Mille ho-
minum, mille dæmonum insi-
diis vir fortis exponitur; ne inci-
dat, protegit eum Dominus; in-
numera incommoda impen-
dent cervicibus ejus, ne impeta-
tur, protegit eum Dominus; in
scelera enormia, in flagitia im-
mania lapsurus erat, ne caderet,
protexit eum Dominus; jam
jam hostium suorum futurus
præda erat, & pabulum ignis
æterni, ne fieret, protexit eum
Dominus. Quid superest, nisi ut
confurgat, & divina fortitudine
indutus dicat: Pergemi Domi-

132 DISCURSUS IV.

ne, perge custodire me, ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege me! Tu enim protector vitæ meæ, à quo trepidabo? pergam ego habitare in adjutorio tuo, & in protectione cœli commorabor: da modo, ut hoc Spiritu principali confirmatus me vincam, ignavos plectam, fucos arceam, depeculatores exhauriam, insidiatores comprehendam, inimicos conteram. Culpâ meâ & alienâ enervatus sum; cado, caduntque mecum, qui mihi adhærent, nisi supponas manum fortitudinis tuæ; tempestas aquæ imminet, infernus aperuit os suum; da robur, fer auxilium, extende brachium misericordiæ & fortitudinis

DE FORTITUDINE. 133

clinis tuæ, ut vincantur, qui dicunt mihi quotidie, ubi est Deus tuus? qui tua tribunalia impetunt, qui sua templa polluunt, qui Sancta Sanctorum everunt, ut agnoscant, & timeant te DEUM pacis, DEUM fortem, DEUM Exercituum, & tandem mecum te Dominum vivum & fortem Zelotem venerentur.

* *
*



F 7

DIS-

134 DISCURSUS V.

SCIRE TVVM



Prima satis est nosse Deum, se nosse secunda
His sine, crede mihi, caetera nosse, nihil.

G. Bouffay DIS-

DISCURSUS

QUINTUS,

DE

SCIENTIA,

Quinto S. Spiritus dono.

Dedi cor meum, ut sciam prudentiam, atque doctrinam, erroresq; & stultitiam. Eccl: 13.

CAPUT I.

*Principis Christiano-Politici
Scientia.*

REgium omninò studium,
quo prudentiæ, stultitiæq;
scientia acquiritur, quo ve-
ritatis & erroris vis sic penetra-
tur, ut axiomatis utriusque ad
malo-

136 DISCURSUS V.

malorum morum fugam, ad bonorum usum, ad perfectionem atque ad beatitudinem instructus gradum sibi sternat Christianus Princeps. Hoc in studio qui profecit, prudentiam se didicisse, & in quocunque gradu gubernationis se Dei Vicarium agere posse gaudebit, atque Dei gloriae & subditorum commodis intentus, vi tam gratuita dignitatis obligatus salutem haud difficulter obtinebit. Qui ignaviam in ministris, inscitiam in se non toleraverit, qui despoticam auctoritatem vitaverit, memor Dei & status sui rectae se gubernationis regulam & impressisse, & expressisse ostendet. Inertiam regendi regendorum calliditas,
vici-

vicinorum vigilantia & in exteris regnandi libido sic sæpè castigant, ut, cùm videant regnum ob inertiam non rectè administrari, plerique subditorum ex aliena suggestione parere nolint, nisi alius imperaverit. Studeat itaque Princeps, ut videatur profecisse, atque politiam nosse, quæ civium mores ad beatitudinem dirigat, non illam, quæ passim vapulat Machiaveli, etsi addiderit, usurpet. Multùm profecit, si nocere nesciverit; si non sibi tam prodesse, quàm aliis non obesse didicerit. Hac arte fortunam in regno, & in vicinia sibi ancillantem efformabit; prudentiam perdidicit, si exercuerit, errorem percepit, si

vita-

vitaverit. Attendat ad grandia
 politicorum ingenia; ingenium
 magnum, ut sæpè medicina est
 perfidiæ, sic ejusdem sæpè læ-
 pius machina est, nisi regius ani-
 mus calliditate astuque depura-
 tus, atque cœlesti radio illustra-
 tus prævenerit. Calliditas nihil
 nisi nutrimentum perfidiæ ope-
 ratur; bonæ artes præstant om-
 nia. Scientia Numinis, via pru-
 dentia, consilii labor, sui suo-
 rumque cognitio ars est arcana
 benè regendi, norma salutis, lux
 operum, dux vitæ, lex regni,
 phosporus Justitiæ. Disce pru-
 dentiam, si te gnarum, si te præ-
 ditum scientiâ censeris deside-
 ras.

Nec enim Regibus necessa-
 ria

ria est Philosophorum subtili-
 tas, nec Mercatorum supputa-
 tio, nec numerus Poëtarum, nec
 rerum vanissimæ & sumptuo-
 sissimæ exinanitiones, sed inte-
 gritas iudicii divinâ arte suffulta
 ostendit Regem esse Philoso-
 phum, & alium non regnare fe-
 licitius, quàm Regem Philoso-
 phum; qui si errores & stulti-
 tiam intellexerit, jam opulentæ
 imaginis rerum fugiendarum
 contemplator erit: Exhibet
 imago illa res longè à se positas,
 secundùm dignitatis indignita-
 tisq; æstimationem & pretium;
 exhibet, quæ fontes obstruunt
 gratiarum, quæ originem bene-
 volentiæ obscurant, quæ statum
 concutiunt, quæ casum interi-
 tum-

140 DISCVRSVS V.

tumque minantur. Sicut enim prudentia suis formata regulis actiones ad præfixum finem adornat, ita præcepti errores, eorumque damna & nocumenta prævisa omnia, quæ suis imposturis, notitiæ & cultui divino obstacula ponere possunt, avertunt; Qua ex disciplina Princeps tam literatus quàm iustus passim celebrabitur: quo quid dignius? quod ad celebritatem nominis, ad profectum salutis aptius esse potest instrumentum? Scire nimirum prudentiam, ut actus ad Deum dirigantur, scire errores, ut dexterè declinentur: excellentissimo Principe dignissima est scientia! Didicit Servus post Rex Romanorum

DE SCIENTIA. 141

rum Servi⁹ Tullus prudentiam,
regni incommoda, errores &
stultitiam pervidit & cavit: Vi-
dit quàm lubrico loco stet Prin-
ceps, quàm citò ex erroribus ad
servitutem relabi possit, quàm
grande ludibrium è sceptris
emergat, quàm grande circum-
volitet, quàm citò in nihilum re-
cidant regna, atque quàm suavi
comitatu ejusmodi scientiã
communitus ad felicitatem
pertingat. Scire ista reges decet,
non ut sciantur, ne vani sint, non
ut vendant, ne quæstuosi; sed ut
rectè feliciterque gubernent.
Ad hoc enim fax scientiæ illa à
Deo accensa est, ut se cogno-
scant ipsi, & authorem cogni-
tum venerentur. Est isthæc in
mente

mente Principis scientia veluti
quidam hospes Deus, qui divi-
nitatem quandam largiri vide-
tur, quâ solâ regnorum admini-
stratio, rerum omnium perveſti-
gatio & affluentissima bonorum
possessio emanat, quâ cœlestium
rerum sublimitas, terrestrium
vilitas in partem beatitudinis
convertuntur. Consule, si pla-
cet, vitam Dipno-Sophistarum
ex Athenæo, Imperatorum ex
Suetonio, Sophistarum ex Phi-
lostrato, & perveſtiga totam
omnium artium scientiarumq;
encyclopædiam, quicquid in il-
la dignum memoria, dignum
posteritate, dignum imitatione
repereris, à scientia hac, quæ
pro-

propria Principis esse debet,
 profectum esse videbis.

CAPUT II.

Scientiæ Experientia.

IN veterum historiarum monu-
 numentis vidimus Alexandro
 non suffecisse orbem, Diogeni
 suffecisse dolium. Eccur ita? scie-
 bat hic prudentiam, ignorabat
 alter stultitiam: cur Vitellium
 coena pretiosissima non satiavit,
 Telemacho famem fabæ extin-
 xerunt? Ignorabat ille pruden-
 tiam, sciebat hic stultitiam: cur
 Heliogabalum luxus confecit?
 Aristidem inedia servavit? hunc
 prudentia erudit, illum stultitiæ
 scientia deseruit. Quòd Cleopa-
 tra

tra uniones ad egestatem deglutiverit, Protogenes si liquas passus fuerit, fecit stultitiæ prudentiæque inscitia, quæ sic quosdam dementat, ut majorem apud posteros laudem nec desiderasse, nec alio pretio mercari sui memoriam & infamiam voluisse videantur, quam pluribus rerum istarum scientiâ probè instructis, cum nominis famâ immortalitatē consecutis. Principalis sanè scientia erroris & prudentiæ non in palatiis, etsi inde sæpè effulgeat, sed in tuguriis nascitur: Magister ejus rillâ vestitus incedit, non holoporphyro; philosophicè coenat, non basilicè; pancraticè laborat, non bæoticè, fortunam ludit, eliminat

DE SCIENTIA. 145

nat voluptates, proterit gemmas, calcaturum; altâ fronte, retrusis oculis, hirsutis superciliis, implexo capillo; verbo rerum omnium contemptu formosus est, monumenta erigit, quæ nulla unquam ætas exterminare potest. Ab hoc disciscientiam, quæ victrix & domitrix omnis insolentiæ est, atque in Neroniano contubernio nutritam sævitiam, inter Tiberiana tentoria fixam avaritiam, in Tarquinianis hortis educatum fastum eradicat atque exterminat. Nullam unquam meruissent laudem, quos tota veneratur antiquitas, ut Numinis familiares & operum ejus præcones, nisi hos divina hæc scientia ex-

G

tulif.

146 DISCURSUS V.

tulisset. Nec Semiramis, quòd
alta fuerit ab avibus; nec Paris,
quòd nutritus ab ursâ; nec Cy-
rus, quòd sustentatus à canibus;
neq; Romulus & Remus, quòd
lactati à lupa fuerint, præconia
meriti sunt, sed quòd prudentiæ
& erroris scientiâ claruerint.
Hujus ergò scientiæ in tantis ne-
gotiorum turbis, in tanta pec-
candi licentia, in tanta factorum
fatuorumque operatione gna-
rum esse oportet Principem.
Nemo enim meliùs imperare
novit, quàm qui rerum ad sta-
tum suum pertinentium cogni-
tioni sui authorisque sui Dei no-
titiam conjungere didicit. Huic
regio studio da cor tuum, ut
scias prudentiam & stultitiam:
quæ

DE SCIENTIA, 147

quæ ut percipias supplex esto &
precare: Domine Lux mentium
illumina mentem meam, vi-
deam te salutare meum! lumen
oculorum meorum, lumen ani-
mæ meæ, ne oculus superbus me
obruat, ne lingua aspidis me
vulneret, ne dolosa circumve-
niat! videam te in medio natio-
nis pravæ, in umbra mortis, vi-
deam te lumen mentis meæ, in
umbra mortis te videam lumen
vitæ meæ! cognoscam te cogni-
tor meus, qui es æterna rerum
omnium scientia, & da, ut vi-
deam mundi vanitatem, & fu-
giam errores & stultitiam, da ut
videam te Deus meus, scien-
tia mea, vita mea in
æternum.



CAPUT III.

Scientia Studium.

PRinceps literarum ignarus, vix ac ne vix quidem humanitatis gnarus, gubernationisq; peritus erit. Uti enim armorum imperitia & horror ignavum faciunt; ita rerum ignorantia ad humaniùs agendum & fructuosius regnandum inidoneum: Si Marte & arte destitutus est Princeps, saltem cum utriusq; artis peritioribus magistris commercium habeat, ut vel sic aliena arte doctus habeatur: alieno robore veluti fortis timeatur: Literas amet & literatos, arma colat & armatos. Hisce enim modis

dis ignavię & ignorantię notam
 effugiet , naturę imperantis
 acerbitatem mitigabit, gradum
 sibi ad omnem sternet dignita-
 tem. Nihilominus ad Principem
 scientiarum Deum, qui veram,
 eamque infinitam boni maliq;
 scientiam habet, ignarus confu-
 giat , atque contemplatione,
 oratione, usuque rerum inde ad
 sui status necessitatem subsidiũ
 decerpat, pręgustet, & quoad
 ejus fieri potest, ut sciat, instet &
 sollicitet. Totius scientię Magi-
 ster haud dubiẽ oculos illumi-
 nabit mentis, quibus ruditatem
 & nuditatem intellectus & vo-
 luntatis videat, quibus obscure
 quidem & in ænigmate lumen
 de lumine, Deum de Deo sic

150 DISCURSUS V.

contueatur, ut in ejus essentia, quicquid esse habet, secundum luminis hac in mortalitate obscurioris proportionem attingat, atque in ejus ideis, quæ sunt divina essentia, rerum penè infinitarum imitabiles contempletur. Exhibet ea ipsa tanquam in speculo, imò tanquam in lucidissimo suæ scientiæ theatro infinitam rerum possibilium faraginem, exhibet rerum omnium veritatem & vanitatem, unde apparet majestas Numinis, creaturæ vilitas, potentiæ opulencia, rerum creatarum indigentia, sapientiæ plenitudo, stultitiæ latitudo: Inspice hoc divinæ essentiæ speculum, mentis tuæ oculo has ideas peruestiga,

DE SCIENTIA, ISI

ga, ipsum Deum attende: vide-
bis, quidquid in eo est, vitam ef-
se, & vitam æternam; perspicias
rerum conditarum varietatem,
operationes, earumque defe-
ctus, effectusque usque adeò, ut
nihil velis, nisi Deum verum, &
quem misit Magistrum æternæ
veritatis Filium suum; nihil desi-
deres, quàm cæteris omnibus
contemptis, in hoc solo con-
quiescere: Huic Numinis, huic
creaturæ stude cognitioni, ut in
hac secundùm legem ambules,
in illo conquiescas. Humanas
artes, quibus ad cœlestes perve-
nias, non contempseris. Gothi
dum à literis suo Principi me-
tuerent contemptum, ad ante-
cessores, tanquam ad libros &

152 DISCVRSVS V.

magistros exigua cum laude
eum remittebāt; Carolus VIII,
Rex Franciæ, quòd literarum
expers grandes ad initium re-
gni barbarissimos commisit, bar-
barus habebatur: Ludovicus
undecimus, interdicto litera-
rum studio, fictionibus filium
suum studere voluit, quasi istæ
solæ forent unicum contra om-
nia regni venena antidotum.
His certè gradibus ad tam ne-
cessariam Dei sui que cognitio-
nem nemo perveniet. Nosse
Grammaticorū anomala, Rhe-
torum tropos, Dialecticorum
elenchos multum est; se statum-
que suum nosse plus est; nosse si-
derum ortus, interitus & influ-
xus, medicorum aphorismos,
Jure-

Jure - Consultorum analyses,
 Philosophorū axiomata, Theo-
 logorum Psycho-pharmaca de-
 corum est; At nosse Deum natu-
 ræ autorem, rerum omnium fi-
 nem & principium, necessarium
 est: Nosse Jovem retrogradum,
 Mercurii furta, Saturni litigia,
 Martis & Veneris conventicu-
 la, & alia siderum phlegmata,
 quid animo prodest? Eviscerare
 terras, exhaurire Euripos, in ar-
 genti aurique metamorphoses
 & auxeles incumbere, quanti
 est? Ad Patrem luminum, à quo
 omnia scientiarum dona de-
 scendunt, ascendendum est
 Principi: literas cum virtute
 conjungere pium est. Egit Nero
 Comœdum, nec obfuisset, nisi

Tragœdus Matrem & Magistrum in theatro crudelitatis exhibuisset; Dionysius Siculus verificatorem egit, non adeò contemnendum, nisi fixis tot aculeis in bonos satyricus Poëta sterneret. Domitianus Musciperda factus: Commodus eruditorum hominum Mastyx, si ab Aurelio humanitatem & ultimâ patri voluntate legatam justitiam didicisset, à Martia è vivis sublatus non fuisset: complures minutis artium, vero sapientiæ justitiæque studio neglecto, eò vilitatis pervenerunt, ut cum antè populo imperârunt, ejusdem post ludibriis fuerint expositi. Sic nimirum veræ scientiæ contemptores

res proficiunt, ut fortunæ spolia,
populi ludibria, calamitatis &
miseriæ expertissimi Magistri
eyadant.

CAPUT IV.

Scientiæ Varietas.

NEquè tamen velim existi-
met quispiam honesta stu-
dia, animorum ornamenta, con-
temptis istis literionum studio-
sitatibus, contemni, aut otia
suaderi, dum quiescunt tribuna-
lia. Siquidem variarum rerum
cognitio semper amanda, otium
semper vitandum. Neque quic-
quam sic Heroas dedecet, ne-
que tantam ignaviam plantat,
tantam regnis vastitatem indu-

156 DISCVRSVS V.

cit, tantum & tam nocivum silentium juribus indicit, quam otium. Tolle otium à rege & regno, jam cupidines, fraudes, sementem rebellionis, vitiorum cubile & sentinam scelerum sustulisti. Caveat omnis magistratus multæ malitiæ magistram ignaviam; facit hæc, ut supra Principem extollatur populus. Hinc Attalus Rex servo Philippomeno inservire didicit. Nunquid igitur Princeps, ut Constantinopolitanus Imperator Michaël disciplinis literarum obscurabit Imperium? nunquid Epicuri disciplinis sese tradet? an Stoam frequentabit? an Academiam? ignoscite mihi Epicuri, ignoscite Stoici, corporis voluptas

DE SCIENTIA. 157

si-
m
e-
e-
m
u-
a-
m
ra
is.
p-
n-
n-
li-
b-
id
et
ca-
u-
o-
as

luptas non est regni felicitas,
pertinacia & rigor vester non
est regium ornamentum. Sa-
pientiæ exploratio, veri investi-
gatio, virtutum honestas decent
Principem: rerum causas, ortus
& interitus, temporum vicissi-
tudines & cœlestium orbium
convolutiones prælibare oportet,
non sese totum immergere,
ne à subditis Philosophum age-
re & Principem deponere co-
gatur. Mathematicorum artes,
quantum satis est, ad ædifican-
das urbes, ad Musarum domici-
lia erigenda, ad divini cultus
Basilicas extruendas, quin ad
metanda castra, ad ordinandos
exercitus, ad expugnandos ho-
stes libandæ sunt; uti illis, non

frui oportet; ne, dum cœli motus considerat & metitur Princeps astrologus, magnitudine cœli abductus Imperii sui limites obliviscatur. Alphonsus X. Rex Castellæ, dum stellas perlustravit, in fossam incidit; dum alii circinârunt, excentrici oberrârunt alienæ artis speculatores, suæ osiores, artium Professores, sui status everfores. Præter linguarum peritiam provinciarumque notitiam utilissimum & penè necessarium vitæ speculum historia est; ex hac vitæ propriæ errores alienâ virtute corriguntur, virtutes ex alienis erroribus addiscuntur. Ex hac regius Psaltes annos suos in amaritudine recogitabat; Asluerus magni-

magnitudinis suæ periculum colligebat; hoc in speculo Moy-
sis zelus, Josues fortitudo, Mar-
dochæi pietas exhibetur. Quòd
si displicent vetera, lege Clodo-
væos, Carolos, Philippos, Ferdi-
nandos, Leopoldos, multa, quæ
admireris, multa, quæ imiteris,
nonnulla etiam, de quibus te-
cum in utramque partem disce-
ptes, reperies, & mente illustrior
moribusque correctior evades.
Præstantior omnibus sacra hi-
storia, quæ velut lux quædam
divinitus accensa, vitæ melioris
remedia demonstrat, quæ veluti
furiosa flamma totius guberna-
tionis difficultates depopula-
tur, spargitque lucem, quâ duce
viam ad cœlestia gaudia eorum
candi-

candidatus intueatur: Regulam
sanè fax illa divina morum,
mensuram negotiorum, om-
niumq; finem præfixum osten-
dit. Hinc illustratus Josephus
Patriarcha ad Ægypti Assyriæ-
que salutem se contulit, hanc
cùm populus Ephraim deseruis-
set lucem, veluti columba à vul-
turibus direptus fuit. Hebræi
spretâ Christi doctrinâ ab He-
rodianis docti tandem vitæ
monstra evaserunt. Ipsi Genti-
les in gravioribus regni vitæque
negotiis à Fidelium Sanctorum-
que doctrina & exemplis confi-
lium petiverunt. Ptolomæus
Philadelphus Rex Ægypti &
Constantinus Magnus ad status
sui

sui commoda sacri codicis ex-
 planationem desiderârunt. Pla-
 to Aristotelis aliorumque Ma-
 gister à sacro codice illumina-
 tus, Moyfes Atheniensis cœle-
 stis harmoniæ moderator planè
 divinus audit, atque suis nos do-
 cumentis ex naturæ symmetria
 ad morum conformitatem in-
 vitavit. Divinorum affectuum
 Encomiasten, mysteriorū ora-
 culum, psalmodiæ cœlestis &
 terrestris modulatorem Davi-
 dem audi, & documenta expri-
 me, si potes; Attende suspiria
 cœlestis phonsci, tractus, ra-
 ptus, fugas, symphonias, chro-
 mata, quibus animi & in man-
 suetudinem descendunt, & in
 justam

justam iram acuuntur; nunc effervescunt in amorem, nunc in laudes erumpunt; modò in execrationes malignantium, modò in consolationes afflictorum eriguntur. Alexander Severus æqualem curam historiæ atque militiæ haberi voluit. Est historialux veritatis, memoria vetustatis, testis temporum, magistratorum, vitæ sanctioris nutritrix & propagatrix, in qua ipsi mortui viva exhibent spectacula & documenta, ut non immeritò Basilii Imperator Leoni filio & futuro Principi ultimâ voluntate Historicos legaverit; utpotè qui Heroum virtutes imitandas tradunt, flagitia execranda ostendunt;

ef. dunt ; qui ad judicandum de
 in præsentibus & futuris, iudicium
 e- à præteritis certissimum deri-
 dō vant, qui ad rectam regnorum
 m gubernationē perfectissima Po-
 us liticorum dogmata statuunt. Et
 ue hæc scientiæ principalis est va-
 o- rietas, è qua ad gubernandam
 u- rempubl. glorificandum Deum
 ra gradus Principi Christiano Po-
 & litico sunt ponendi.

CAPUT V.

Scientia Theoria.

S CIENTIA, quâ mens nostra
 suam omnisq; creaturæ con-
 tinuam à divina essentia, omni-
 bus, ratione immensitatis, inti-
 mè

164 DISCURSUS V.

mè præfente , dependentiam
contemplatur, theoria est: scientia,
quâ naturam humanam in
divinam hypostasin assumptam
speculatur, theoria est: scientia,
quâ gratiam nobis communica-
tam veluti naturæ divinæ parti-
cipes consideramus, theoria est:
scientia, quâ nos ad Ideam divi-
nam, è qua profluximus, intelle-
ctu & affectu redire videmus,
theoria est: scientia, quâ beatæ
mentes in divina essentia, ceu in
clarissimo speculo, lumine glo-
riæ adjunctæ vident, quod hac in
mortalitate nec oculus videre,
nec in cor hominis descendere
potuit, theoria est: videre im-
mensum bonum, perfectam &
interminabilem vitæ æternæ
possessionem

possessionem, perpetuum amo-
rem, perpetuum gaudium,
theoria est. Hanc o scientiarum
Deus lucem ostende nobis, &
sufficit, hanc o Domine faciem
tuam exhibe, & salvi erimus. Di-
gnissima hæc principali animo
est scientia, dignissima specula-
tio! Est enim mentis nostræ in-
choata beatitudo, & beata eter-
næ vitæ plenitudo, ad quam an-
helamus, quam toto corde desi-
deramus. Huc nos nobilissimus
liber mundus, in quo veluti in
immagine universa sapientiæ &
stultitiæ disciplina comprehen-
ditur, promovet: In hoc Crea-
toris potentia, sapientia, boni-
tas, misericordia & justitia relu-
cent;

166 · DISCURSUS V.

cent; in hoc impotentia, malitia, temeritas, crudelitas & iniustitia creaturæ apparent: Docuit ille liber omnium dogmatum Magister Paulos, Antonios, Augustinos, Hieronymos, & sexcentos alios Dei inæstimabile pretium, suam vilitatem; divinam immutabilitatem, suam inconstantiam; divinam bonitatem, suam malignitatem. Unde contemplatori studioso nascitur amor Dei, odium vanitatis; amor rerum divinarum, odium terrenarum; desiderium æternæ voluptatis, fuga omnis obscœnitatis; gaudium de Dei misericordia & justitia, afflictio de mundi miseria & calamitate:

Per-

DE SCIENTIA, 167

Perlege hunc librum, audi magistram creaturam, certus sis, non Cyri posteros, non Pharaones Ægyptios, non Licurgi Spartiatas, non parentes filios, non Præceptores discipulos ejusmodi dogmatis, uti mundus rationis participes creaturas, instruxerunt. Da ergò cor tuum, ut scias prudentiam atque doctrinam, errores & stultitiam ex sacra historia, ex tota hac universitate. Qui enim hanc scientiam invenerit, inveniet vitam & hauriet salutem à Domino. Ut inveniam vitam & hauriam salutem à Domino. Da ò æterna Sapientia, scientiarum Deus & Dominus! da ut inveniam scientiam

tiam viarum tuarum, scientiam
Sanctorum, scientiam boni &
mali; qui enim ignorat, quod sci-
re debet, ignorabitur: Cogno-
scam literaturam tuam: Non
abscondas à me, quæ abscondi-
sti à sapientibus & prudentibus,
quia parvulus sum: da salutis
divitias, sapientiam
& scientiam,
Amen.





CAPUT VI.

Scientiæ Praxis.

Contemplati sumus aliquam
 in hac luce æternæ gloriæ
 possessionem ; verum ad obti-
 nendam istam necessaria est
 scientia practica ; quæ est, quæ
 Deo & proximo debita justitia
 sic cognoscitur , ut vigore tam
 sanctæ cognitionis ad utriusque
 amorem & amoris exercitium
 impellamur. Parcite jam om-
 nes , quicumque vitali hac aura
 fruuntur , si ad hanc scientiam
 omnes invitavero. Repræsentat
 ea veram sapientiam assequen-
 dam , stultitiam fugiendam ,

H

æter:

170 DISCURSUS V.
æternum bonum consequen-
dum, æternum malum effugien-
dum. Nec opus est multis am-
bagibus ad hanc obtinendam
uti. Poëtarum agalmata, picto-
rum emblemata, Philosopho-
rum apophtegmata, plebiscita,
Senatus consulta, Neopolitico-
rum periculosi anfractus, peri-
culosiora dogmata, veterum
mysteria, Ægyptiorum Hiero-
glyphica viam ad hanc tam suc-
cinctè, tam nervosè non docent
scientiam, quàm unicum, idque
passim obvium æterni Magistri
præceptum, æternæ veritatis
oraculum, unica omnium le-
gum continens lex & præce-
ptum: Diliges Dominum Deum
tuum

DE SCIENTIA. 171

tuum & proximum. Hoc æternæ sapientiæ capite documentum, percipite vim & energiam ejus Principes & subditi: discite praxin. Si percepistis, ubi fides? ubi justitia? ubi amor? ubi timor? ubi honor? cur multa præter Deum & non propter Deum amastis? cur cum Juliano à Deo recessistis? cum Maxentio crucem Christi explosistis? cum Tyrannis è vivis plurimos æternæ veritatis testes substulistis? cur cum sacrilegis sacras ædes profanastis? destruxistis? cur justitiæ tribunalibus impietatis ministros præfecistis? cur canes mutos sacris pulpitis, sincero populo hypocritas, vernis ver-

H 2

nacu-

172 DISCURSUS V.

naeulae ignaros linguæ, discipulis ineruditos Magistros præposuistis? Hæccine Dei cognitio? amor, honor, justitia? scienti & non facienti justitiam quid restat, nisi de injuria accusatio & condemnatio? Discite ergo, ut diligere sciatis Dominum vestrum, diligere, ut vosmetipsos, proximum vestrum, condiscite; Nam ex hac scientia omnes leges sacri voluminis pendent. Si percepisti, quisquis es mortaliū, hanc legem, cur, cū te non velis opprimi, injuriosè tractari & spoliari, cur inquam viduas, pupillos, pauperes opprimis, spolias, injuriosè tractas? Cur, cū ex caritate & justitia

TUO;

tuorum integritati & saluti prospicere tenearis, non prospicis? Cur, si diligis proximum, cur inquam eidem Primores, qui rugiunt ut leones, cur iudices, qui rapiunt ut lupi, præfacis? Ex tua societate & familiaritate leones, lupos, tigrides & nocivas feras, ne noceant, proscribis; cur, cum spectent ad exilium & mortem, ad populi tui internecionem admittis? Legimus magistratus omnis Dei minister est: qui loco Dei præsumt, caveant durissimum, quod eos manet, iudicium. Rex insipiens perdet populum; ignarus suæ erga Deum & proximum obligationis, sui status & conditionis

174 DISCURSUS V.

ignarus, muneris sui oblitus,
 Rex est insipiens, neq; pruden-
 tiæ, neque erroris gnarus, & quâ
 scientiâ ad salutem dirigetur
 populus? Ignarus sapientiæ præ-
 ceptæ, ignarus erroris prohibiti
 Pastor est; & quâ ratione pascet
 populum? an illa æterni Regis &
 Pastoris te fugit indignatio? Ve-
 sani, qui lac comedunt, tondent
 lanam, pascunt semetipsos? Su-
 per Pastores & Reges iratus est
 furor Domini! Discite Reges &
 Pastores prudentiam, discite er-
 rores. Consiliis vestris, tribuna-
 libus vestris, vestris sacræ profa-
 næque reipublicæ officiis non
 obtrudite fucos, non præficite
 ignava pecora, non præponite
 igna-

DE SCIENTIA. 175

ignaros ministros: Non metus à bonis, non lucrum à malis, non auri cupido, non ventris libido idoneos facit ministros; sed virtus & sapientia meretur cathedras & curas, & curias, & tribunalia. Nosse oportet Principem vim justitię, quę cuilibet tribuit, quod suum est. Ut vel hoc pacto se theoreticā & practicā scientiā præditum esse demonstrat. Quicumque igitur Princeps potentiam stabilem desiderat, qui sapientiam exoptat, laboret, ut ex sacra profanaq; historia ex omni creatura haurire sciat, & opere ipso ostendere, quæ amare, quæ odisse, quæ eligere, quæ negligere oporteat. Hæc si didice-

176 DISCVRSVS V.

rit intelligens effectus, gubernacula possidebit, atque ut possideat quietam, Deo acceptam, suis salutaria; det cor suum, ut sciat prudentiam & doctrinam, erroresque & stultitiam, roget omnium scientiæ fontem & authorem, omnium prudentiæ amatorem, & erroris osorem Deum, & dicat: Domine Dominus noster, quàm admirabile est lumen tuum, quàm gloriosum, da ut noverim te, ut noverim me! non deflectas à me candorem lucis tuæ, quia ad vesperas cit; illumina tenebras meas, in quas ab utero projectus sum, in quas me præcipitavi, è quibus sine tuo lumine emergere non possum! Erudi me,

DE SCIENTIA. 177


me, quia rudis & expers sum! ne
projicias me à disciplina tua,
quia Magister es, Doctor es, De⁹
es, qui Angelos & homines facis
esse eruditos: loquere magister,
audit discipulus, loquere Do-
mine: quia audit servus tuus; au-
diam te, videam te, & amem te!
videam mundi vanitatem & fu-
giam eam! Tu lux, tu Dux, tu
Sapientia, tu Scientia mea
in æternum.



H S

DIS-

178 DISCURSUS VI.



*Te pietas, te prisca fides non deserat unquam;
Hic etenim tellus vincitur atq; potius.*

DIS.

179

DISCURSUS

SEXTUS.

DE

PIETATE,

Sexto S. Spiritus dono.

Pietas autem ad omnia utilis est.

Tim. 4.

CAPUT I.

Principis Christiano-Politici

Pietas.

TOta ratio status, quæ Sa-
pientiam, prudentiam-
que regit, quæ Principi
famulatur, quæ regni de-
fectus omnes, instrumentique
ruditatem supplet, pietas est:

H 6

Nee

480 DISCURSUS VI.

Nec tam populus multus, quàm
Dei cultus firmat augetque re-
gnum. Moyles, Josue, David,
cùm pii pro religione pugna-
runt, regna vicerunt: ipsa ho-
stium infidelitas & crudelitas,
ipsa ducum perfidia piis Princi-
pibus victorias concesserunt:
Est nimirum vir ille obediens,
qui loquitur victorias, pius in
Deum Princeps. Tutissima &
certissima ars reip. gubernandæ
& exaltandæ est religio ejusque
usus. Qui vera pietate Numen
non colit, mala, quibus affligi-
tur, impietati suæ adscribat; for-
tunam omnem moderatur pie-
tas; inviolabile cum ea fœdus fe-
rit: Si aliam rationem status,
quàm religionem, cum fortuna
conjun-

conjunxeris, exponet te statum-
 que tuum casui & ludibrio, Ma-
 crinus Cæsar maluit felix, quàm
 pius audire; indignata ex hoc
 fortuna cum detubito infeli-
 cem ostendit. Est enim insolenti
 felicitati inimica, pietati juncta,
 vel fidissima, vel certè fideliter
 propitia. Unde resp. ejusq; ele-
 ctum instrumentum Princeps
 pietate, cultuque sese erga sum-
 mum rerump. autorem & for-
 tunæ moderatorem accommo-
 det, nisi abjici velit, oportet: sit
 pius & religiosus, etiam cum ex-
 cessu. Nam in nullo, nisi in impe-
 rante excessus, isque solùm in
 religionis ardore permittitur: Si
 hinc ab imperita multitudine
 civiliter imprudens habeatur,

182 DISCVRSVS VI.

omni laude superior humanæ
calliditatis estimationem & cen-
suram civilis imprudentiæ vili-
pendet, atque solâ pietate con-
tra Dei rebelles & perfidos tur-
barum seminatores armabitur,
Impius esse nõ debet Princeps,
atque ut se, suosque servet hac
in mortalitate innoxios, & in al-
tera vita beatos, & esse, & videri
pius debet. Pietate, tanquam fi-
liâ justitiæ principem, Deum, ut
summum parentem veneran-
do, proximum sive socium, sive
subditum æquitate & benevo-
lentiâ colendo, æternam obti-
nebit felicitatem. Hanc igitur
colat; eâ enim major virtus est
nulla: patriam ab igne vindicat,
patrem per ignem portat, vitam
pro

pro Deo ponit. Quid dicam amplius? læsa non lædit, impetita non mordet, prodita non prodit, decepta non decipit, etiam victa victrix est. Si cæteræ virtutes admirationem merentur, pietas sanè meretur amorem. Præterquam enim quòd sit fundamentum virtutum, est quoque ex benignæ mentis dulcedine omnium gratissima auxiliatrix, & divini cultus religiosissima observatrix, quâ sublatâ fides humani generis, societas, ipsaque justitia virtus excellentissima tollatur, necesse est. Quid enim justitia, quid fortitudo, quid prudentia sine pietate aliud est, quàm crudelitas, tyrannis, carnificina, rationis præcipi-

cipitantia, & mentis everfio.
 Pietatem qui negligit, nihil veri
 de homine retinet, qui eam pre-
 terit vel proterit, regnum sta-
 tumque suum evertit.

CAPUT II.

Pietatis Amplitudo.

Pietas & fulcrum, & basis est
 Imperiorum, longè fortior,
 quàm opes, industria, exercitus.
 Nam sine pietate animus, con-
 silium, cura, curia & aula inani-
 ma sunt. Sine pietate miles iner-
 mis, consultor ignarus, exercitus
 excors est. Aula Theodosii, ut
 Gymnasium pietatis, à multis
 celebrata fuit. Honoris à multis
 tyrannis pietatis exercitium li-
 bera-

beravit. Si Cyri familiares pietate præditi fuissent, tantam censuram non commeruissent. Virtus profectò excellentissima est, & quò magis in Principe necessaria, eò in ipso clarior & excellentior esse debet. Dignius nobilisque sacrificium à Principe in ara cordis Deo litari non potest pietate. Hinc sensus recti, mens sana, honor verus, plebs devota; fidelis minister, digna Principe majestas, firmum regix fulcrum, originem, vigorem vitamque ducunt. Tanti eam fecit gentilitas, ut majores eam amicis suis suaserint, successoribus suis etiam imperaverint. Cyrus, etsi parum eximius dum aliis pestem voluntate ultima
lega-

186 DISCVRSVS VI.

legavit, præclarior tamen, dum
ut Cambyfes filio, hæredi regni
pietatem tranſcripfit. Iſocrates
ſuo Nicocli pietatem hæredita-
riam & propriam eſſe voluit:
Non latebat illos & complures
alios ſapientiffimos rerumpub.
gubernatores, feliciffimam fore
gubernationem, ſi pietate Deo
ſerviat, & Imperii fines hone-
ſtiſſimo pietatis exercitio custo-
diantur. Unde antiqui novique
politix magiſtri non parum à
ſcopo aberrârunt, quando aſſe-
runt regnare volenti licitum
eſſe legem rumpere, & dunta-
xat utile, etſi ab honeſtate vera
alienum, à ſceptrorum candi-
datis quæri poſſe. Julia hanc po-
litiam filio ſuo Antonio Cara-
callas

callæ tam facilè , quam impiè
 persuaserit, ut nimirum liceat,
 quicquid libuerit. Non sapien-
 ter, cætera sapientes regni ad-
 ministri regi Persiæ interrogan-
 ti: Num in uxorem sororem du-
 cere leges permetterent, re-
 sponderunt: Licere, si regi pla-
 ceat, & velit; si displiceat, non li-
 cere; scelus suaserunt, quia pie-
 tas abfuit. Absit ab assentatori-
 bus hodiernis ejusmodi in Heri
 sui allubentiam consensus. Ana-
 xarcho Clitonis à se occisi mor-
 tem plangenti impium solatium
 afferebant adulescentes, dicendo:
 Idcirco statuam Justitiæ juxta
 Jovem positam esse, ut quicquid
 Jupiter fecerit, justum rectum-
 que factum esse habeatur. Sic &
 impiè

188 DISCURSUS VI.

impiè & perfidè scelerosi hujus
ævi Psilli, Vulpes politicæ, quæ
Christianam remp: imò Christi
Ecclesiam demoliri satagunt,
agunt: Diagoras, Milesios,
Theodoros, Cirenenses, reli-
quosque sine Deo Dynastas ad
regnorum sceptrâ protrudere
conantur, ministrosque ad hoc
pari perversitate imbutos, vel
simplicitate dementatos adhi-
bent, atque eos, qui minùs intel-
ligunt, vel plus audent, ad id mu-
neris applicant, ut benè consti-
tutis rebusp. novos Dominos,
florantibus regnis inauditam
vastitatem inducant. Princeps
Christianus, & pius, & sanctus
esse debet; impius nec esse, nec
videri debet. Fulgeat ergò in
iplo

iplo cum pietate majestas, ne in
 eorum numerum veniat, qui di-
 cunt in corde suo, non est Deus:
 ad omnem pietatem incumbat
 & oret: Dominus meus & Deus
 meus, Rex Regum, & Dominus
 Dominantium, colam te Re-
 gem meum, & regni mei tuto-
 rem venerer in æternum.

CAPUT III.

Pietatis Eversio.

IN Deum Sanctosque, in om-
 nem proximi interitum capi-
 talissimus hostis, conjurata vi-
 ctorum turba, omnis iniquitatis
 farrago, internecio virtutum
 Principis impietas est, quæ hac
 tempestate Atheismus meritò

vapu.

190 DISCURSUS VI.

vapulat: Certissimum omnium
virtutum excidium, omnis vi-
tiositatis seminarium. O mise-
rum reip. statum, qui hoc Deici-
dio infamis est! O calamitosum
Principem, qui ejusmodi mali-
gnos fovet laterones! O deplo-
randum, qui isthac peste coin-
quinatus est! Dixit insipiens in
corde suo, non est Deus: Stultus
& impius corde & opere, non
ore, ne lapidetur, sic loquitur.
Nonne vides confceleratissime
mortalium, te jam tua hac per-
versitate Dei omnipotentiam,
scientiam, justitiam, misericor-
diam abstulisse, atque ipsum
Deum sua Deitate spoliasse?
Non otiosus circa cardines cœli
obambulat, sed cura ei est, post
disper-

dispertita creaturis beneficia & officia, de omnibus atque singulis. Tonat, fulminat, accendit orbem, inundat orbem; time, venerare, supplica, aquis lachrymarum extingue iræ incendium, ardore amoris diluvium exicca; pietatis tuæ hoc hoc officium esto. Caveat Christianus Princeps, ne eò insanix dilabatur, ut vel ipse sic loqui, vel ore impudentissimo dementatus sic agere præsumat, quasi præter se suo in regno alium non credat Deum. Si Cæsar orbem terrestrem regit, non continuo à novis Enceladis Jupiter de cælo præcipitandus est; non Sol auferitur, licet emendicatis radiis sidera scintillent. Impius est, **Atheus**

192 DISCURSUS VI.

Atheus est, qui licet ore aliud præ se ferat; corde & opere Deum esse negat. Si suo in regno Princeps est eximius à sua populi lege, quis eum à lege Dei eximit? Lex Dei observata & Principis, & subditi conservat statum & dignitatem: quicquid natura est, authorem Deum habet, cujus legi, quicquid extra Deum est, subjicitur. Est fateor libertas regia, est regia potestas; verum divinæ legi subjacent universa. Lege Dei stat mundus, circumvolvitur cœlum, crescunt & decrescunt sua vicissitudine tempora, sidera, omnia. Urit ignis, movetur aër, vegetantur frutices, sentiunt bruta, intelligunt homines, sapiunt ange-

angeli : ad Dei nutum , ab ejus
 auxilio , ad finem præfixum . Ca-
 stigat ipse errores , frenat exces-
 sus in toto naturæ ordine , om-
 nium ortus & occasus suo con-
 stringit domitatu . Quicumque
 igitur à magnitudine sua , à sce-
 ptro suo vel negat Deum , vel
 dissimulat , legesque ejus con-
 temnendi licentiam rapit , ad
 gentilitatis errores spectat ; qui-
 cunque Imperium humanum
 solâ fictione & adulatione distin-
 guit , ad impietatis abyssum , ad
 Atheismum pervenit . Ecceur
 Christiano Principi , qui , ut
 Christi jura tueatur , honoris &
 operæ amplitudinem accepit ,
 tanta impietas concedatur ? Im-
 pietas Nimrodi , Chami impu-
 dentia ,

dentia, Sichemi impudicitia,
Pharaonis tyrannis, Saulis de-
spectus, Manassis abominatio-
nes divinam Nemefin fenfe-
runt: Dux impiorum impius
Phassur, impius Alchimus, &
sexcenti alii impietate infames,
pœnas dederunt, coram cœlo &
terra experti, quem spreverunt
sux impietatis vindicem, justitię
executorem Deum. Advertite
Principum, qui perire volunt,
initia. Radix totius ruinæ simpie-
tas est, totius Impietatis fons &
scaturigo Atheismus est. Ex hoc
fluit pietatis simulatio, justitię
prætextus, impunitas scelerum,
hæresis, ejusque conniventia, ut
religionem & sacerdotium, quæ
melior majestatis portio est, se-
curior.

curiorque rebus in adversis assi-
 stentia, occultis machinis con-
 cutiat, Principem erudit & in-
 cendit Atheismus. Hac in Deū
 hominesque perfidiæ contagio-
 ne infectus magistratus Eccle-
 sias affligit, divini ministerii ædi-
 timos despicit, ignaros, elatos &
 impios sacris cathedris rectores
 præponit, ut paulatim & passim
 cultum divinorum converti vi-
 deas in luxum impiorum.

CAPUT IV.

Pietatis neglectæ Effectus.

FUERE olim Reges populi, Re-
 ligionis quoque Principes; &
 sanè etiamnum regię artis opti-
 mum instrumentum religio est,

ejusque observantia, fortunæ pignus, potentiaæ peculium opulentissimum est. Prô Deum immortalem! quàm multa regna perierunt, quia pietatem, afflictis ministris, exilio multatis, Ecclesiis spoliatis & vastatis profecerunt. Augusta regum fortuna, ut pietate conservatur, ita impietate evertitur. De gentilibus quid dicam? qui, quamdiu in Deos, in patriam, in parentes pi fuerunt, tamdiu floruerunt! Machabæi felices, quamdiu pietas erga Deum, & amor legis militiam comitati sunt, fuerunt quando cessavit pietas, in iustis cum impiis foedere, in iusto cum fucis & propriâ gloriâ pacto omnis felicitas emarcuit. Mic

pſæ Regis filiis pro hæreditate
 relicta est charitas. Hæredes pii
 regnum firmum, impii imbecil-
 lum faciunt. Pietate res parvæ
 crescunt, impietate maximæ di-
 labuntur. Si pius in Deum Prin-
 ceps est, si fidelis est Deo, plebs
 in Principem pia erit, eique fide-
 lis; remp. splendidam morum
 honestas, strenuum Imperato-
 rem in optimos imperium com-
 mendat: Ūtrumque in angeio-
 rum custodia & in constanti di-
 vini Numinis tutela conservat
 pietas. Sic Theodosius & Valen-
 tinianus suas resp. à pietate in
 Deum firmaverunt. Tantæ pro-
 fectò potentix pietas est, & vel
 ipsum ejus nomen prodesse vi-
 deatur: quinimò, si non esset

198 DISCURSUS VI.

Deus, fingendus esset, ut pietatis cultu eidem exhibito populus coërceri possit. Idcirco omni imperio conjungenda est pietas. Neque unquam ab omnium Principum Monarcha politicus Princeps separare sese, nisi veluti perduellis divinæ majestatis læsæ reus, & pœnam confiscationis, & pœnam capitis incurrere velit, debet: caveat, ad pietatis exterminium, viam, hæresim, quæ dum Dei veracitatem tollit, ipsum Deum de mendacio, de infidelitate, atque de variis erroribus arguit. Quo quid sceleratius? quid ad regni sui eversionem efficacius? Novæ religionis sectatores & patroni si placent, nova methodus perturbandi
bandi

bandi regna, nova impietas placet. Sacra profanis continuo commisceri videbis, aras in harras, templa in stabula, verum Dei cultum in ludibrium, religionem in vanissimas opiniones & superstitiones converti experieris; Si dissimulas majorum pientissimè instituta religionis asceteria, impio ipse ausu contemeras. Attende tibi & tuis ex hac Atheismi semente natis ministris. Consceleratissimi sunt, qui, quæ ad Dei servitia destinata fuisse sciunt, suadent, ut ad profanos usus traducantur: Mitra gemmis, pedicibus, choristipendiis ditescere, est ad incitas redigi. Aerarii augmenta è sacrâ suppellectili conflata sunt

200 DISCURSUS VI.

ejusdem decrementsa; neque facta jurium ignorantia, simulata laxioris vitæ correctio, prætextum majoris boni studium istis rerum sacrarum abusibus justum præbent titulum. Qui hac methodo utuntur consultores, & rei sacræ sunt avarissimi competitors, & regis regnique perversissimi proditores: qui has voragines suo in regno tolerat Princeps, interibit. Quod ne fiat augendo Dei & religionis cultui sedulo invigilet, lupos arceat, utiles & patriæ & patrii idiomatis gnaros, literis virtuteque excultos ministros adhibeat & conservet. Cæterum, ut hæc religionis pietatisque cura pium decet Principem, ita Christiania-

stiano Politicum addecet, ut ex
 amussi ad assem pius sit: veniam
 dare, iram frenare, furorem ne-
 scire necessarium est, ne corre-
 ctor popularium errorum se
 præbeat corrigendum: qui ma-
 ximâ uti posset licentiâ, utatur
 minimâ, ne unica voluptas ex-
 hauriat, quod inopiæ, fidelitati,
 fortitudini, calamitatibus &
 vulneribus multorum debetur.
 Verbo: liceant multa, libeant
 pauca. Qui omnibus daturus
 putatur, avaritiam opprimat,
 nec unquam, nisi promissa ser-
 vare decreverit, promittat. Tur-
 pissimum namque est regi, pro-
 missa non servare, turpissimum
 est, rerum cupiditatem, quæ
 omnium malorum caput est, ex

I I quo

quo vitiorum cælaries pendet,
alere: Vindex sanè scelerum esse
non potest, qui vitiorum ma-
trem fovet avaritiam.

CAPUT V.

Pietatis Efficacia.

Mirum, quanta vis ad omne
bonum augendum, & ma-
lum avertendum pietati insit,
maximè Regiæ: Regis pietas
malorum subditorum pharma-
cum est; Regis pietas lex est be-
nè ac beatè vivendi omnibus;
Regis pietas justitiæ & regni fir-
mamentum est: Lasciviens regis
oculus eum ut lenonem exponit
infamiæ, iracundia intempesti-
vior ut crudelem diffamat; ava-
ritia

ritia ut furem & oppressorem, & penè sacrilegū promulgat. Privato sæpè fatis est nihil mali facere, Princeps ne quidem de malo suspectus esse debet. Lex per sapientiam, justitia per equitatem, Princeps per pietatem fortunæ rei que publicæ inserviant: Dei, legis justitiæque Vicarius solus Princeps, si pietate valet, omnem omni obligationi æquitatem exhibere poterit. Cùm multos pœniteat gratis esse bonos, cùm improbum sit multos impunè esse malos, quosdam præmiis, quosdam pœnis conservabit in æquitate: Sensu doloris necessitati paret multitudo, minùs honore ducitur. Pœnarum usum deleget aliis,

204 DISCVRSVS VI.

præmiorum ipse sit distributor; sic jus dicere conetur omnibus, ut sibi dici à Deo desiderat: Si ministri antè pannosi subito purpurati incedant, istam è subditorum sanguine effulgere purpuram sibi persuadeat. Castellæ Rex, Henricus, Constantinus, Pius Imperator severissimè in ministros iniquitatis animadverterunt, eò quòd vili jus Numinis æstimarent, vel contemnerent: & hoc ex pietate. Magistratus uterq; donet judicia, officia, beneficia, quia pietatis est; non vendat, quia impium est, atque ista tribunalium venditione iniquior emergit emptor. Princeps sui officii memor non se extra naturam humanam collocet,

or; cet, non se tragicum simulet, sed
is, ipse causarum auditor sit; præest
Si namque ut profit. Fœmina ab
tò Adriano non audita insultabat
b- Imperatori hisce verbis : Noli
r- Ô Imperator imperare, si non vis
æ audire. Imperator Rudolphus
s, aiebat , se non Imperatorem
n creatum, ut arcâ inclusus cola-
l- tur, sed ut publicè præsit, & pro-
i- fit omnibus. Quicumque impe-
i- rant, modestè sibi noverint esse
• imperandum. Nam grave re-
- gnum sub graviore constitui-
t; tur, & acre sub acriore. Qui ar-
t- matiment, paludamentum non
e metuant, sagum non induat, si
- togatus esse poterit; atq; quam
- ferro religionem inducere non
- potuit, pace, connubio & pie-

206 DISCURSUS VI.

tate procuret, ne divini cultus neglector, & impietatis seminator, imò impius regni administrator habeatur. Subditis graviserit, si bono publico malè prospiciat; non pudeat se pauperem esse regem, sed pauperum, quos ipse opibus exuerit. Omnia bona sciat à pietate proficisci, quæ si abfuerit, cum exigua laude imperabit. Tributa necessaria si in regni depopulationem, in adulatorum opulentiam, in otiosorum luxum, in superfluos & vanos religionis apparatus effuderit, næ ille vile pietatis testimonium ad iudicium secum feret. Exigebat veste lugubri indutus Rex Castellæ Joannes I. tributa, ne ob miseriam

seriam inopum & gemitum pauperum in se veluti tyrannum exurgat Dominus. Erici Suecorum Regis assentatores, & tributorum novorum inventores à plebe excruciatì perierunt. Qui Theobertum Francorum Regem ad ejusmodi exactiones impulerunt, lapidati sunt; alii aliis calamitatibus affecti vitam cum morte mutârunt. Tributa nec regem ditant, nec regno profunt. Opulentus esse vis? opes non prodige, à miseris non collige; compara beneficiis, benevolentia ære vacuum ærariû momento compleveris. Pietas & pietatis industria ad omnia utilis est. Eduardus Anglorum Rex sanctissimus dæmonem cumulo

208 DISCVRSVS VI.


mulo exactæ pecuniæ insidentem & exultantem vidit, Ad miserorum nimirum gemitus & pauperum lachrymas exultantem vidit, & contritus prohibuit. Impius omninò censetur, qui ejusmodi regni expilatores tolerat; deprædabitur, qui deprædatur, eritque violentæ legis lator, patronus iniquitatis, exterminator pacis & reipublicæ Princeps, qui impios voluntatis suæ executores subornaverit; & quidem eos, qui, quicquid fecerint, secundum legem clamant esse factum; qui Cæsaris, Regis, Procerumque iram minantur, qui eos, qui injustis extorsionibus resistunt, post concussionem spoliationesq; morti adju-

adjudicant, eò quòd in coro-
 nam, ut perduelles peccasse di-
 cantur, cùm tantùm ad sui de-
 spoliationem mutire præsum-
 pserint. Hæc cùm contra pieta-
 tem Principis sint, in Princi-
 pem, nisi castiget, redundant.
 Nihil enim ei velle, aut permit-
 tere licet, nisi quod lex, æquitas,
 aut necessitas publica persua-
 det. Quando Themistocles suis
 tributa imponebat, duabus fe-
 stipatum Deabus, dixit, Persua-
 sione & Violentiâ. Populus dua-
 bus etiam se stipatum, scilicet
 Inopiâ & Impotentiâ negabat:
 an ad pietatis, utriusque partis,
 legem, quis dicat? Christianus
 Princeps conscientiam velut Deam
 stipatus, pro Dei Religionisque
 cultu,

cultu, pro regni subditorumque incolumitate præstabit ea, quæ populum non exhauriant, neque ad hostem, tanquam ad mitiorem Dominum eundem præparent. Ex pietate imperet subsidia, & impetrabit victoriam; non agat cum suæ voluntatis & violentiæ executoribus, nisi ad pietatis intentionem. Si libidini Deum, desideriiis opum divinum cultum, denique pietatem impietati postposuerit, immemor sui muneris, fortè resplendet purpurâ, sed subditorum sanguine respersâ; refulgebit auro, sed sacro; unde & se, & aurimagistros, & inventores in pœnas impietatis acerbissimas præcipitabit. Quod ne Christia-

ue no Principi contingat: Da piissi-
 iæ me Pater, omnis pietatis fons &
 e- scaturigo, ut orbis hujus Mo-
 ni- narchæ, Principes & omnes ma-
 g- gistratus pietate verâ sint exi-
 b- mii, curent, ut iniquis affectibus
 n; sint immunes, coelestium arden-
 & tes caritate, terrestrium con-
 ad temptu præclari; sit eis ad æter-
 ni nos triumphos vera fides funda-
 vi- mentum, spes viaticum, reliquæ
 m virtutes ornamenta & arma,
 e- quibus piè in Deum proxi-
 n- mumque animati, æterna celo-
 m rum gaudia in pietatis præmium
 dit & bravium gloriosi nanci-
 u- scantur.





CAPUT VI.

Pietatis Præmia.

ADeste scelerati Manes, Deicidæ, Theomachi, crudelitatis fabricatores, pietatis exterminatores! Si potestis, levate oculos in montes, & videte pietatis monumenta & præmia, videte æterna pientissimorum Principum trophæa. Quorum vos vitam, quorum vos pietatem insaniam æstimabatis; Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei? Pii fuerunt & pietatis cultores. Nulla pericula pro Deo formidârunt, nullos labores pro ejus cultu detrectârunt, imò divinæ gloriæ vitam suam

impe-

impenderunt. Tenent jam pro
 asperitate dulcedinem, pro con-
 tumelia gloriam, pro inopia di-
 vitias, pro morte vitam, eamque
 æternum beatam. Compassi sunt,
 jam correignant: quia pi fuerunt
 vitam & refectioem, do-
 micilium & possessionem, divi-
 tias & gloriam, fortitudinem &
 refugium, quietem & solatium,
 protectionem & securitatem,
 gaudium & beatitudinem obti-
 nent. Adeste & videte o Adula-
 trices Simiæ politicæ subtilita-
 tis obeliscos & pyramides æter-
 næ gloriæ Principum, quibus
 hoc in mundi theatro omnis vo-
 luptas vanitas fuit: quibus om-
 nis operatio pietas fuit. Adeste &
 spectate. Ubi vestra Nerones,
 Domi-

214 DISCURSUS VI.

Domitiani, Maxentii, Juliani,
Joviniani de Deo devicto re-
portata victoria? Ubi spolia? Ve-
nistis, vidistis, vicit Galilæus, vi-
cit impietatem vestram, vicit in-
solentiam Rex & Triumphator
omnium; Rex seculorum, Rex
Dominantium, Rex, cui omnia
vivunt. Vivunt jam gloriosi cœ-
lorum incolæ, immixti Seraphi-
nis, inserti Principatibus, olim
terræ Principes, quia cœli ter-
ræque Principem agnoverunt
& piè coluerunt; vivunt ei in se-
cula, eumque plenum gloria &
veritate intuentur. Simulacrum
Dei, gentium Deus, acre flagel-
lum Sicionios meruisse asseruit,
quòd fraude factâ in ludis Py-
thiis victori illuserint. Quanta
res

DE PIETATE. 215

res & fido Deo, & iniquo victo-
 ri illudere! Attamen castigatio-
 nem meruit imputatum faci-
 nus. Nunquid verus Deus offen-
 sam suæ majestatis tantam à ty-
 rannis, ab impiis, ab Atheis dissi-
 mulabit? nunquid sui odium si-
 ne sensu? sui contemptum sine
 vindicta? sui exterminium sine
 furore sinet impunè abire? Ze-
 lotes est in quartam & quintam
 generationem eorum, qui ode-
 runt eum, quid faciet iis, qui
 eundem impietate sua extin-
 ctum voluerunt? diligentes se
 diligit & glorificat, ut in se tan-
 quam summo bono, per visio-
 nem & amorem cum ineffabili
 & perpetuo gaudio requiescant:
 ut ibi degant, ubi nulla mali su-
 spicio,

spicio, nulla animi, nulla corpo-
 ris ægritudo est : omnis hac in-
 quiete voluptas sine fastidio, in-
 finita serenitas, immensa suavi-
 tas, æterna omnium securitas
 est. Et hæc pietatis præmia sunt
 in altera vita, præter percepta
 hac in mortalitate solatia, præ-
 ter charismata. Impii verò quid
 non hac in vita, quid non in al-
 tera sustinuerunt, & in æternum
 sustinebunt? in cratibus, in car-
 ceribus, in catastis, in cippis, in
 rotis ob perpetratam impieta-
 tem informes facti, omni penè
 mortis genere extinguuntur.
 Quot non Duces, Reges, Impe-
 ratores priora secula ob disces-
 sum à pietate miserrimâ morte
 sublato viderunt? quot non ad

vindictam divinam rapti sunt?
 Infelix Julianus, iufelix Antio-
 chus, infelices omnes, qui ob
 impietatem suam à divina Ne-
 mesi ad mortem defulminati in
 æternum periére.

CAPUT VII.

Ad Pietatem Paranesis.

SUrrige ergò animū ad Deum,
 dirige actus secundū le-
 gem, operare secundū ratio-
 nem; & pietatem exercuisti. Ple-
 nitudo legis caritas est, caritatis
 exercitium pietas est; Pietas in
 intellectu lumen est, in volunta-
 te amor est, in operatione carl-
 tas est. Pietas, ut ad omnia utilis,
 sic ad salutem, ad æternam glo-
 riam necessaria est. Ex natura, ex

K

jure,

jure, ex promissione, ex fidelitate, ex omni obligationis titulo in divinam majestatem pius esse teneris. Quicquid hanc tuam obligationem impedire poterit, si pietatis præmio frui desideras, remove. Nascentis impietatis scintillas extingue, gliscenti hæresi resiste, Atheismi semina suffoca; nisi Deum regni tui everso-rem vindicem experiri mavelis. Absit favor injustitiæ, legis divinæ contemptus, heterodoxæ religionis patrocinium à pio pacificoque in terris Principe, ab æternæ vitæ candidato. Caroli, Constantini, Ferdinandi, & alii, quia pii in Deum, justii in religionem, partim armis, partim pace, etiam ex suorum perfidia, inertia & invidentia felices fuerunt,

ex spoliis & victoriis hostium re-
 gna eorum sumpserunt incre-
 menta. Non enim malorū per-
 suasionibus, iniquis censib⁹, Ec-
 clesiae spoliis, pauperum affli-
 ctionibus, sed secundum Dei le-
 ges omni pietatis, justitiæq; ex-
 exercitio sui status amplitudinem
 quæsiverunt: gnari à pietate in
 Deum regnorum incrementa, à
 defectu pietatis sceptrorum
 translationem provenire. Stabi-
 litatem nimirum regni parit
 pietas, dissipat impietas; cultus
 divini reverentia ædificat, blas-
 phema tyrannis destruit. Si quis
 ergò regno temporali & æterno
 frui desiderat, servet fidem, co-
 lat Deum, pietate & justitiâ sese
 exhibeat divini Numinis culto-

220 DISCURSUS VI.

rem & amatorem: Noverit eundem esse pietatis munificentissimum remuneratorem, & impietatis acerbissimum castigatorem. Dei legem suæ licentiæ, suorum libidini semper præferat pietatem. Nisi enim suis concupiscentiis divinam legem prætulerit, nisi ministrorum perversitati restiterit, nisi carnis, ambitionis, avaritiæ flammæ, aliarumque rerum inordinata desideria desiderio pietatis, pietatis exercitio, rerum divinarum desiderio, & indefesso studio compescuerit atque extinxerit, castigatorem Deum, Deum vindicem experietur. Piissimus cæli terræque Princeps pii Principis Dominiū regnorum immensitate, ejus in pietate transacta tempora sequi-

lorum eternitate, animam denique regiam interminatâ felicitate ditabit. Dita ô piissime, ô ditissime Deus ! ut fatigato per opera pietatis Principi sit requies, æterna mansio, plena lux, perfecta corona: Da, ut cui fuerunt regii ornatus, legis tuæ observantia, religionis & justitiæ administratio, sint eidem angelorum contubernia, Sanctorum gaudia, Doctorû laureæ, & perpetua æternæ gloriæ ornamēta: ibi tandem quiescat, ubi Deus amat ut charitas, novit ut veritas, sedet ut æquitas, dominatur ut majestas, regit ut principium, tuetur ut sal⁹, operatur ut virtus, revelat ut lux, assistit ut pietas, honorat ut gloria, atq; ut gloria sempiterna.



Quo fugiam. furiat fenus ignis et aequor ^{ther.} et a.
Disperere, nisi me Numinis abdat amor.

DISCURSUS

SEPTIMUS.

DE

TIMORE

DEI,

Septimo S. Spiritus dono.

*Si Dominus ego sum, ubi est timor
meus. Malach. 1.*

CAPUT I.

*Principis Christiano-Politico
Timor.*

Quis novit potestatem
iræ tuæ Domine, aut
præ timore tuo iram
tuā dinumerare? Verè

Deus magnus, & potens, & ter-
ribilis est; apud quem nulla ini-

224 DISCURSUS VII.

quitas, nulla personarum acceptio, nulla rerum cupido est: Ignis ante ipsum præcedit, & in circuitu inflammat inimicos ejus: Quis magnitudinem & multitudinem poenarum, quas non timentibus se præparavit, penetrabit? quis effugiet? omnis creatura etiamnum in ultionem armata est, uti à condito orbe armata fuit: luculenta extant hujus armaturæ exercitamenta: Repete memoriâ justitiæ, sive in angelos, sive in homines prævaricatores exercitiæ rigorem; quis non exhorrescat ad vindictam tantam? in horas, in momenta temporū obscurat Deus ultor scelerum solem, ignes dejicit, spirat procellas, animat
ocea-

oceanum, findit terram, fulminat montes, detruncat cedros, diffringit rupes, inundat orbem, inflammat orbem; atque sic divina Justitia ad terrendos à scelere homines, ad agnoscendum suum Dominium, ad venerandam Justitiam in tempore præludit æternis tormentis, ut servet in æternum. Jam jam Principis considerat potestatem, regna ponit in statera, opera perferatatur; si contra Jus, si infra Jus quidpiam repererit, minatur, terret, ferit, uno conditurus tumulto Magistratum cum subdito, Dominum cum servo, Ducem cum milite. Et nondum perhorrescis vindicem dexteram, vindicem furorem? Om-


226 DISCURSUS VII.

nium Dominus est, opera & fragmenta, actiones & motus, res, rerumque effectus omnes ab ipsius nutu & voluntate, ad ortum vel occasum, ad ignominiam vel gloriam omnibus momentis dependent. Omne Jus potestatem omnem à se habet: nec est qui possit aut voluntati aut potestati ejus resistere. Omnes Reges & Monarchæ cum omni splendore & magnificentia, cum regnis & exercitibus suis, cum divitiis & gloria veluti terræ vermiculi coram eo sunt, & in conspectu ejus instar nihili. Verè Dominus Dominorum & Dominantium est: Rex Regum & sæculorum, cujus Jus in omnes creaturas perfectissimum in
omni

omni generatione, & in omnem
 generationem. Et ubi timor
 ejus? reges terræ & regna eorum
 repente corruunt, & ad nihilum
 rediguntur! Regnum ejus stat
 in æternum: Regnum impio-
 rum funditùs excindetur, re-
 gnum inquam, cujus iniquitate
 nunc orbis turbatur, veritas &
 justitia opprimitur. Adverte
 mentem in tantam potestatem,
 considera rectitudinem, con-
 templare zelum, & vide, num te
 timor, num te amor ap-
 prendat.



K 6 CA-



CAPUT II.

Timoris incitamentum.

TImenda meritò tanti Judicis tanta potentia, qui solo metu judicii, mortis & gehennæ quemvis exanimare potest: Expertus est orbis universus divinam bonitatem & clementiam; conditus, redemptus, donis variis exornatus, expertus est sapientissimi Provisoris benignissimique gubernatoris suavissimam & efficacissimam dispositionem, & vix amare didicit. Discat saltem ex sua vilitate metuere. Disce ô mortalis! ex tui notitia timorem: quàm tenuis, quàm imbellis es? Umbra, bul-
la,

DE TIMORE DEI. 229

la, cinis quàm citò evanescunt!
Disce ex Dei tui magnitudine &
fortitudine: quàm potens, quàm
justus, quàm expeditus Zelotes
in hominum est interitum! Ti-
morem suadeo. Est enim ini-
tium sapientiæ, spei firmamen-
tum, securitatis genitrix, men-
tes corrigit, fugat crimina, inno-
centiam fervat, noxam perimit,
regna erigit, auget & confirmat.
Timorem concipe. Conservat
corpus & animam, hancque, ut
timeat Judicem, faciat judi-
cium & justitiam, excitat. Quod
si divinum vindictæ fulmen dor-
mitaret, si remissum sceleribus,
quæ passim patrari videmus,
parceret; si expers notitiæ vindi-
ctæque divina Nemesis foret,

230 DISCVRSVS VII.

præfidenter & impavidè à multis concipi posset vitiorum impunitas, & plures Enceladi ex sue voluntatis legibus cœlo bellum indicerent; plures cum Barbaris & Atheis excluso timore fortitudinem in humanis viribus collocarent. Verùm cum omnes sapientiores perfidiæ in Deum ultionem metuant, cum mortis pericula, quæ impiorum cervicibus, non secùs ac Dionysio Siculo gladius, immineant, in considerationem ducenda doceant, imò vitæ mortisque arbitrum Deum pertimescendum præcipiant, fructuosius est, Deum timere confidentius, quàm præsumptuosè contemnere. Time ergò Deum, timent enim Deum

DE TIMORE DEI. 231


Deum quæcunque contigerint, ad salutem conducunt. In Imperio est, qui Deum timet, qui timet homines, in servitute est: tutissima res, nihil præter Deum timere. Quos times non amas; Deum timendo amas, & amando times. Solus hic timor in sapientem & constantem virum feliciter cadit, facitque ejus rationem & mentem à cæteris hostibus inexpugnabilem. Da ergò Domine, ut timeam te Deum meum, confige carnem meam timore, ut à judiciis tuis timeam! non intra in judicium cum servo tuo; non scrutare Jerusalem in lucerna, non arguas me in furore tuo; sed absconde me donec transeat furor tuus!

manus

232 DISCURSUS VII.

manus misericordiae tuae me suscipiat, formido tua non obtrahat me: folium sum, quod vento rapitur: stipula sum, quae comburitur. Si uulneris, si fecueris, si dissipaveris, collige & sana vulnera mea; quia timeo iudicia tua, & spero in misericordia tua. Speraverunt, & timuerunt Patres nostri, & non sunt confusi. Timeam & ego, & non confundar in aeternum.





CAPUT III.

Timoris Fructus.

TImeat Dominum omnis terra, & commoveantur omnes inhabitantes Orbem ! timore nimirum, quo animarum labe cavetur, quo divinæ Majestatis offensa evitatur. Hoc veræ sapientiæ initium est, verus pietatis magister, qui omnes, qui terrena sapiunt, cœlestibus & æternis disciplinis instruit, qui veram integritatem urget, & sanctitatem docet. Quando metuis naufragia, bonorum jacturam, hostium barbariem, tyrannorum crudelitatem, cum periculo offensæ divinæ sæpè, sæpius
cum

cum ipsa offensa metuis. Attimere Deum ut amantissimum Patrem, liberalissimum Remuneratorem, æquissimum Judicem, sapientissimum Gubernatorem, extra culpæ periculum est: Hunc ergò ne offendas, tolera cruces, tormenta sustine: Hunc metue, qui postquam diripuit bona, occiditque corpus, animam potest mittere in gehennam. Hunc metuere opus est in amore divino fundatum, extra animæ discrimen; perfectè sapit, qui pœnæ rerumque temporalium timorem ex animo proscrubit, eo solùm, quo Deus timetur, retento; per hunc enim Dominus illuminat, & salutem ostendit, Hic si vitam protegit,
à quo

DE TIMORE DEI. 235

à quo trepidabis ? Si consistant
adversum te castra inimicorū,
illo communitus nihil timebis.
Humanus timor quàm procul
sæpè recedit à Numine ? suspi-
ciones excitat, inanes consulta-
tiones instituit, figmenta malo-
rum suggerit, obest virtutibus,
progenerat vitia, hominem le-
gnitie aggravat, laborum atque
periculorum formidine à men-
te alienat, atque in stuporem
ducit, in miserrimam denique
servitutem suâ insolentiâ, hebe-
tatis benè agendi instrumentis,
Regem, regnumque tradit. Ti-
mor verò divinus sic Deo affigit
timentem, ut nihil eum terribi-
litate ferire, nihil de mente de-
turbare valeat. Oculi enim Do-
mini

236 DISCVRSVS VII.

mini super timentes eum. Spes eorum, fortitudo eorum, Deus fortis, Deus exercituum est: ab huius iudiciis & præliis si Princeps Christianus timere didicerit, timere, quicquid crudelitatis à mundi huius Principibus affundetur, dediscet. Non illum rugitus leonum, non inimicorum tyrannis, non ferrum, non aurum expugnabit, tam solidâ virtutum basi immotus stabit, quicumque Deum timere didicit.



CA-



CAPUT IV.

Timoris Divini proles,

Veritas.

BInâ foecundus Timor DEI prole sic munit sapientem, ut nulla ei adversitas, nulla iniquitas nocere queat. Nobilissima generosissimæ matris soboles, Veritas. Veritatem indaga, ut justè judices, si timens Dei haberi desideras. Qui Deum timet, protinùs rerum agenda- rum veritatem inquirit, laboratque, ut, quod verum est, deprehendat, quod justum, unicuique tribuat. Agnoscunt quidem hoc Veritatis Justitiæq; exercitium unicè ad salutem esse
necesse;

238 DISCURSUS VII.

necessarium Tribunalium præ-
sides, Judices, Tribuni, Princi-
pes, Regesque, at pauci ample-
ctuntur. Pilatus, quando cum
veritate sermonem instituit, ne
perciperet, sermonem abruptit:
quàm multi Principes, quàm
multi, quibus cura corporum,
animarum, statusque commissa
est, ne veritatem audire, ne veri-
tatem dicere cogantur, fugiunt!
Veritas via est & fundamentum
omnium virtutum: omni vitio
inimica veritas est; Veritas men-
dacio & adulationi, duabus au-
læ pestibus hostis est capitalissi-
ma. Jonas oceano, & balenæ
ventre tumulatus, redux in au-
ram, quam metuerat, Ninivitis
veritatem promulgavit. Sic eum
timor

timor Domini veritate imbue-
rat, ut rectè vereque loqui didi-
cerit, nec procellas, nec Ninivi-
tas amplius metuerit. Is nimi-
rum veritatis genius est, ut, quæ
rerum humanarum conditione
sunt incerta dubiaque, solâ suâ
vi extra sphaeram ludificantis
fortunæ collocet, atque ipsa in
eodem statu constans, & unde-
cunque firma, nulli incremen-
to, nulli decremento obnoxia,
Jus dicat. Hujus lumine accen-
sus Judicis animus ad causæ ini-
quitate nec flecti potest, nec
debet; desertus timore divino,
justitiæ & veritatis genitrice, in
nefas ruet. Veritas, quæcunque
sermone, gestu & actione con-
teguntur, quæcunque jactan-
tur,

240 DISCVRSVS VII.

tur, simulantur, finguntur, suo
comprehendit ingenio: fucos
rebus omnibus abstrahit, larvas
aperit, ut quid verum, quid fal-
sum, quid iustum, quid iniustum
in iis fuerit, ad oculum appa-
reat. Vir veritate fretus menda-
cia elidit, errores frangit, nulla
hunc vis dejicere, nulla fraus il-
licere, nulla perturbatio mente
dimovere potest. Virtuti nulli
plus debet iustitia, nulli plus hu-
mani generis pax & conserva-
tio, nulli plus virtutes omnes de-
bent, quàm Veritati. Ipsa forti-
tudinem à temeritate, constan-
tiam à pertinacia, liberalitatem
à prodigalitate, amicitiam ab
adulatione, parsimoniam à for-
dibus liberat & discriminat: Ex-
plicat

DE TIMORE DEI, 241

plicat se quantumvis compref-
sa, oppressa etiam in confusio-
nem erumpit oppressoris. Omni
fidere pulchrior illuminat, nec
obscuratur; omni Adamante
fortior vincit, nec vincitur;
utrumque à Timore Domini
nacta est. Site, regnum tuum,
tuosque salvos desideras, in om-
nibus indaga veritatem, explo-
ra ante bravium certaminis di-
gnitatem, ante poenam culpæ
gravitatem, laboris difficulta-
tem ante mercedem: Veritas in
his omnibus necessaria est ad
Justitiam: Hanc audi & ample-
ctere, hanc divini timoris filiam
ingenuam venerare: Cave ne
illam aut oblivionis prætextu,
aut consultorum flexu dissimu-

L

les.

242 DISCURSUS VII.

les. Maximum est & penè unicum Principis ornamentum, imò & antidotum contra omnes aulæ curiæque morbos. Efficit ut Principis verbum omni jurejurando sit solidius, ut omne ejus factum ab omni hypoerisi sit alienissimum. Nulli rei sic adhærere, nulli sic amicus esse debet Princeps, quàm Veritati. Verbo, veritatem amando, veracem remunerando orbi palàm faciet, se Deum timere, se eâ præditum virtute, quæ omnium rerum vas est; sine quâ nulla dos animi, nulla fides pectoris, nullus amor securus est: non enim ullam curat virtutem, qui Deum non timet.

CA.



CAPUT V.

*Timoris altera soboles,
Justitia.*

ALtera timoris divini filia Justitia est. quæ pro Deum hominumque fidem! ubinam gentium, ubi terrarum reperienda? in curiis & tribunalibus, in pulpitis & cathedris, in aulis & caulis, domi, ruri, inter leges, inter arma quaerenda est. Ubi illa cum sorore Veritate non est, non est Dei timor, non est Dei amor. Sanctissima est, à paucis hospitio sulcipitur, humanissima est, & à paucis hospitali comitate tractatur, munificentissi-

244 DISCVRSVS VII.

ma est, & nullæ eidem grates referuntur, benigna est, mansueta est, laborum remuneratrix est, & à pluribus barbarè habetur: multi, quos ad honores evehit, ut præessent veluti Patroni, nasam mutilant, oculis privant, congiariis imprægnant, deturpant sordibus, ut ipsa sibi penè ignota vix agnoscat. Exurge saltem ultrix malorum Nemesis! exurge &ingere pœnarum plenum infernalium timorem, atque ultionem in tam sanctæ filiæ illusores & contemptores adorna. Agnoscat eam & populus, & Princeps, & Judex, & Sacerdos. Exhorrescant ab iræ, æternæque indignationis venturo iudicio hi omnes. Si exul
hæcte-

DE TIMORE DEI. 245

hactenus extorrisque fuit Justitia, revocanda est ab exilio, ut sit status tutrix, poenae & praemii distributrix, mali castigatrix, boni compensatrix: revocata pacem, honorem terrae, coelique favores & gratias conferet gubernanti. Perire vult, quicumque illam a suo dominatu exulare permittit. Qui malos mactat praemiis, qui bonos multat exilio, Justitiae inimicus est: qui linguam, scientiamque ignaros suis instruendis praeficit, qui bilancem aere, affectu, assentatione sic onerat, ut meritis iniqua pars praeponderet: ut coronetur bravo, qui dignus est laqueo, inimicus est Justitiae: qui stolidum consilio, mutum eloquio, meti-

culosum bello, depeculatore
ærarlo, provinciis depopulato-
rem, animabus mercenarium
præficit, inimicus est Justitiæ;
nec veritatem agnoscit, nec Ju-
dicem metuit, neque ulli Jus
suum tribuit: & quia isthac re-
rum administratione se Deum
non timere declarat, se perire
velle ostendit. Ad statum con-
servandum, ad officia distri-
buenda, ad substituendos, qui
populum dirigant, doceantque
ut Deum & Principem vene-
rentur, anxius est sæpè Magi-
stratus, & præclarè se de repub.
meritum putat, si nepotes, si
quos eadem tulit patria, quos
paria aluerunt studia, quos vo-
luptas, quos assentatorum tur-
ba,

DE TIMORE DEI. 247

ba, quos corruptelis empti ad-
vocati proposuerunt, promove-
rit. Hinc Infule, Cathedræ, Cu-
riæ contaminantur: Hinc Ar-
chitalassi, hinc armorum, ur-
biumque Præfecti, Principes,
hinc Religionū Antistites, Pro-
vinciarum censores, Ærarii
phylaces, curarum focii, volun-
tatis interpretes, secretorum
custodes, Junonis consultores,
Jovis armigeri multi, multi ena-
ti, evocati, & educati cum ma-
gno rerumpub. in utroque foro
detrimento præfunt. Eccur,
quisquis es non metuis in ista
tua negotiatione & mercatu
penè sacrilego offensam Numi-
nis? cur non attendis veritatem?
cur non exploras habilitatem?

248 DISCURSUS VII.

cur non adhibes officiorum omnium æquissimam consultricem, fortissimam auxiliatricem, & justissimam dispensatricem Justitiam? certo certius, qui obligati in Justitiæ executionem non sedulò incubuerunt, ut Gigantes contempto cœli Rectore defulminati sunt, ad inferos detrudentur: quisquis es discas nō temnere, sed timere Deum, discas Justitiam venerari. Miser Arion in undas à nautis præcipitatus seriùs timere didicit: Non est, qui istâ injuriâ læditur, non est Cyclops, monoculus, Argo oculatior est, totus oculus est; non est sine robore, sine manibus, centimanus Gygas est: Orientem & Occidentem pugillo

DE TIMORE DEI. 249

gillo constringit , imò à tribus
digitis Orbem suspendit , tre-
mendus omnipotentia Rex se-
culorum, vindex scelerum, vitæ
& mortis arbiter, Judex, execu-
tor; coram quo Orbis universus
vix instar pilæ est, omnes gentes
instar stillæ roris antelucani, cu-
jus ad nutum mundi columnæ
contremiscunt & collabascunt,
cujus ad imperium interit Uni-
versum. Hunc time; & supplica:
Deus fortis, Deus immortalis,
qui mare & omnia creasti, Do-
mine Deus meus, qui facis vo-
luntatem timentium te, & cu-
stodientium mandata tua, da fi-
deli populo tuo timorem tui, ut
timeat à judiciis tuis, agnoscat
veritatem, & faciat æquitatem.

CAPUT VI.

Timoris Divini Exer-
citium.

IN viis eorum, quibus Timor
 Dei cordi non est, contritio,
 infelicitas & pacis ignorantia
 erit: toto igitur pectore mortali-
 bus incumbendum est, ut divi-
 næ vindictæ recordatione, pœ-
 narum instantium contempla-
 tione discant timere Deum,
 summum bonum, supremum
 omnium Judicem, proficiant in
 sapientia & æquitate, ne belli
 mole fortunæque fluctibus con-
 cutiantur & obruantur, atque
 demum ex hac ad æternam ca-
 lami-

lamicitatem præcipitentur. Tres
Christiano - Politicus Princeps
obligationes principes habet,
quibus satisfacere tenetur Dei
timore instructus : Veritatis &
Justitiæ legibus eruditus sibi,
Deo & reip. rectè serviat oportet.
Sibi nullo negotio satisfecerit;
quin Deo satisfaciendo, &
sibi, & reipub. satisfecisse vide-
tur. Timeat, ametq; Deum bo-
norum omnium largitorem,
malorum omnium ultorem : re-
moveat, quicquid ab hoc cul-
tu abducit, præstet quicquid ad-
ducit : plus debito præstabit
nunquam, minus præstandum
est nunquam. Rempublicam
rectè administrabit, si injuriam

252 DISCURSUS VII.

ex æquo repulerit, si justè judi-
caverit ; qui enim injustè judi-
cat, qui æris amore judicat, qui
pro iniquitate decertat, Dei ti-
morem, ejusque cultum & ob-
sequium suæ libidini, ambitioni
& avaritiæ postponit. Navis
apud Ægyptios felicitatis sym-
bolum est, quòd Romam Deos
advexerit : qui ad reipubl. cla-
vum Justitiam colit, eidem af-
fert felicitatem. Infelix illa na-
vis, quæ plena rimarum ex una
parte aquis impressa ventis con-
cutitur & submergitur : Infelix
illa Respub. quæ immerfa affe-
ctibus ventis avaritiæ concuti-
tur, & aquis injurlarum involvi-
tur, sanè nec cœlum conspicit,
nec

nec ad portum salutis pervenitis
atque sic totus navigantis Prin-
cipis & clavum tenentis status
evertitur. Moderanda est se-
cundiore vento, ne pereant la-
bores, intereat navis, hauriatur
respub. Justitiã, ejusque execu-
tio differri, non auferri, mitiga-
ri, non præcipitari debet. Mari⁹
in bello Cimbrico, qui alterã vi-
ce inter arma silentium legibus
indixit, ob Justitiam dilatam vi-
ctoriosus esse meruit. Prudenter
veteres Justitiam oculis immo-
bilem, vultu severam effinxere,
ut hic in puniendo imperterri-
tus esse appareret, illi intra sphæ-
ram delicti contenti nocumen-
ta cavere docerent Judicem:

254 DISCVRSVS VII.

Admittendam esse in filiorum castigatione matrem clementiam iudicant omnes, ut Princeps ipsius Dei perfectior imitator existat. Sunt Justitia & Clementia virtutes, intra quas veluti metas omnis rectitudo continetur, has qui transgreditur, ruinæ proximus est. Sit idcirco Principi commendata clementia, commendata sit Justitia; hæc eum formidabilem, illa amabilem reddit, utraque virtus divina est, utraque præsentissimum contra ruinam antidotum. Severitas non moderata ut regiam auctoritatem, ita regni statum & pacem periculis turbisq; exponit. Ignorari non potest,

potest peccatum sæpiùs castigatum committi sæpiùs, crebræ infirmorum tumulationes medicis inscitia & incuria maculas aspergunt. Deus Justitiam suo in palatio recondit, ad mundi gubernationem, misericordiam ablegat. Sol ipse pater ac moderator siderum plures ad generandum, quàm ad comburendum radios impercitur; nonne & ipsum coelum plura ad terrendum fulgura, quàm ad feriendum fulmina emittit? Ipsa terra sulcos frugiferos habet plures ad absorbendum hiatus paucos. Philippus Rex reis læsæ Majestatis crimen Atheniensibus condonavit, filium clementiã

256 DISCURSUS VII.

tiâ superavit. Nec enim, qui gloria magnitudine æternitatem meruit, inclementiâ sui honoris monumenta impedire voluit, nec debuit. Amasis Rex Ægypti interrogatus à Rege Æthiopiæ, quo pacto mare bibendo exhauriri queat, respondit: ex ore Philosophi, si ipse prior omnium fluviorum ostia, per quæ sese in illud exonerant, obstrueret; sapientiùs & explicatiùs Chilo: Regi tantam amaritudinem non esse hauriendam, sed potiùs nectar omnibus regibus propinandum, ut negotiorum grandium acrimoniâ exacerbatidulcescant, & suavitate regis politicæque moderationis subditos

ditos inescant. Sic nempe bonorum politicorum Princeps Christus in se rigore justitiæ, in alios clementiæ lenimentis egit. Et hæc ex divino timore nata justitiæ rectissima methodus est, certissimum regni præsidium, excellentissimum regis ornamentum, reipub. nutrimentum.

CAPUT VII.

Ad Timorem Divinum

Parænesis.

COLITE ergò Justitiam, Veritatemque, Timorem Domini, Matrem colite, veneremini, adorete: colite Justitiam; ne de injustitia vos vindex scelerum
Deus

Deus arguat, ne vos in furore corripiat; colite Justitiam, quæ omnium malorum medela est. Cùm reliquæ virtutes singulæ singula curent mala; sic Justitia vobis instar solis, quæ Ægyptiis oculus est, oritur omnibus, fulgeat omnibus, profit omnibus, noceat nemini. Non patitur Eclipsin, parentum affectibus, amicorum precibus, reorum lachrymis, multò minùs corruptelis, illecebris, delitiis & iniquitatibus vitietur. Ubi integra justitia non est, nec ipsa est, nec timor Dei est. Zaleucus poenam, quæ erat oculorum effossio, infligendam filio suo adultero divisit, ut unum reus, alterum pa-

rens

DE TIMORE DEI. 259

rens perderet: Metuebat ne Legislator, legis prævaricator, impunita insolentia filii haberetur, atque sic culpam, quam unus contraxit, in duobus expiavit: an excesserit, an defecerit in hac Justitiæ exercitatione, non attinet dicere. David, qui creditori per alterius oviculam satisfacere decrevit, de neglecta justitia objurgatus resipuit, pœnitentiâ ductus ad æquitatem rediit. Saul, qui occisis contra Jus sacerdotibus, diabolo consecratus est, & sine successibus periit: nam & expertis timoris fuit, & Justitiæ non observans. Astræa in terris malè tractata ad cœlum avolat, relinqu-

tur

260 DISCURSUS VII.

tur Atys Jovis filia , gemitus
planctusque magistra , in pœ-
nam malè habitæ Justitiæ per-
acerba. Non mutila , non ex-
cœca , non malè tracta Justi-
tiam ; sed utere erga omnes, ut
decer, da Deo , quod debes , da
tibi, redde unicuique Jus suum,
& timere te Deum & amare
ostendes. Ostendite ô Magi-
stratus vos Deum timere , &
timete , veritatem explore
ante sententiam ; justè clemen-
terque judicate ; reddite uni-
cuique quod suum est, modo,
quem conditio permittit , ra-
tio suadet , lex præcipit. Quod
ut sanctè fiat , dicat qui salvus
esse cum suis desiderat, ut regius
Psalmes:

DE TIMORE DEI. 261


us Psaltes: Confige Domine timo-
ce- re carnes meas, ut à iudiciis tuis
er- timeam; Agnosco ò Zelator ho-
x- noris tui! ò Zelator animarum
ti- agnosco iram furoris tui, agno-
ut- sco & toto corde contremi-
la- sco! tolle de anima mea scan-
n, dalum, tolle pusillanimitatem,
re- tolle temeritatem, tolle impu-
gi- dentiam, humillimè supplico.
& Agnosco de ore tuo gladium
te- ex utraque parte acutum, ut
n- feriat. Finis venit, venit finis
i- vitæ meæ, propè est dies occi-
o, sionis! væ mihi, qui me tuis le-
a- gibus & tuæ gubernationi sub-
d- traxi! væ mihi, quia eum non
is- timui, qui postquam occide-
is- rit corpus, animam mittere po-
s: test


262 DISCVRSVS VII.


test ad infernum! væ qui veritatem neglexi, iustitiam despexi. Parce, ah parce Domine! parce modò, & confige timore tuo carnem meam! & omnem iustitiam adimplebo.


F I N I S.

















de
7 domus
S. 3

Th
3260